Q-6
45-1/1953

21.

ALBOHALI ARABIS ASTRO= LOGI ANTIQVISSIMI, AC CLARISSIMI DE IVDICIIS Natiuitatū liber unus, antehac non editus.

Epiſtola nuncupatoria Ioachimi Helleri Leucopetræi, ad clariſsimum uirum D. Philippum Melanthonem.

Impreſſus Noribergæ, in officina Ioannis Montani, & Vlrici Neuber, Anno Domini M. D. XLIX.

CLARISSIMO
AC DOCTISSIMO VIRO D.
PHILIPPO MELANTHONI,

Præceptori ſuo, ſumma obſeruantia colendo, Ioachimus Hellerus Leucopetręus, S. P. D.

QVod iampridem à Deo Optimo Maximo precatus ſum, præceptor doctiſſime, ut extaret aliquando publicum aliquod meæ perpetuę erga te obſeruantię ac gratitudinis teſtimonium, id mihi præter ſpem & expectationem meam, peculiari quadam fortuna, & celeriter, & ut ſpero, ſatis fœliciter contigit. Incidit in manus meas Archetypum aliquot commentariorum de rebus cœleſtibus, admirandæ uetuſtatis, olim ex Bibliotheca magnanimi & inclyti Herois, Matthiæ regis Vngariæ, non minus fœlici fato elapſum, q̃ à ſingulari (ut ego quidem interpretor) noſtræ urbis genio, qui conſtantiſsimè fauet huic pulcherrimæ parti Philoſophiæ, & conſeruatum hactenus, & tandem uenale ad me delatum. In eo tum alij ueterum Aſtrologorum libelli extant, tum uero is, qui nunc primum ſub celeberrimi nominis tui auſpicio in publicum prodit, Arabicus Aſtrologus. Quod tamen ſic à me factum accipias, chariſsime Præceptor, non quòd adeo dignum munus uiſum fuerit

anto Patrono, libellus uetustus licet nec editus ante, exiguus tamen & humili stilo scriptus. Sed quòd hanc qualemcunq; occasionem declarandæ meæ erga te beneuolẽtiæ arripere maluerim, cũ spem lautioris gratitudinis lõgius prosequi. Idq; ut ignoscas meo in te amori & studio, uehementer etiam atq; etiam rogo. Accedebant porrò & aliæ causæ, quę me ut facerem monebant, uel quod perspectissimum mihi erat, te uirũ doctissimum eo genere doctrinæ apprimè delectari, uel quòd tuo iudicio & suffragio tantum soles tribuere huic arti & dignitatis & autoritatis, quantum præter te rari, ac non nisi summi artifices his diuinis studijs detulêre. Non enim te clam est, quanta sit peruersitas & iniquitas uulgarium iudiciorum, quibus hæ disciplinæ, non sine numine quodam ostensæ & patefactæ excellentibus ingenijs, extreme deridentur ac damnantur. Sed nihil faciunt noui homines partim impij, partim etiam imperiti, si præstantissima dona Dei aspernantur, & contumelijs afficiunt. Piæ & sanæ mentes hæc ingentia beneficia Dei, propter maximas utilitates in uita humano generi concessa, agnoscunt & magnifaciunt, ac auribus ipsis atq; animis abhorrent ab illis insulsis & Epicureis uulgi clamoribus. Verum cum ista à te iam olim & grauiter & copiosè ad uindicandam ueram Philosophiam sint disputata, ad institutam de autore nostro orationem reuertemur. Methodum ipsam habet communem cum reliquis Arabum, Indorum, & Persarum, qui multis retrò seculis professionem

nem huius diuinæ Philosophię usurparunt, in quorum iudicijs hunc maxime ordinem licet depræhendere. Principio respiciũt ad cuspidem cuiuslibet domus (ut uocant) & considerant corpora & radios tam fœliciũ, quàm maleficarum stellarum in ea per medietatẽ suorum orbium inuentarum. Postea habent etiam rationem domini eius signi, quod cuspidem domus possidet, diligenter obseruantes tàm naturam ipsius, quàm positum in circulo fortem, aut imbecillem, & commixtiones mutuas fortunarũ, aut infortunarum cum eo. Intuentur præterea significatorem uniuersalem seu naturalem cuiusq; domus, ac rei quæsitæ, fortis ne sit an imbecillis per sese, & in mundo. Hæc sunt potiora & uniuersalia decreta ac testimonia. Verum his destituti confugiunt ad infirmiora quidem illa, non tamẽ prorsus inania partium significata, præsertim si accedant quædam insignia, fœlicium stellarum suffragia, aut econtrà aduersa infaustorum siderum impedimenta. Porrò respiciunt etiam ad dominos ipsarum partium, & eorum fortitudines aut detrimenta, loca & applicationes diligenter expendunt, sicut in reliquis significatoribus. Vltimo loco adhibent quoq; in consilium, potissimum tamen ad tempora euentuum exploranda, dominos triplicitatis eius domicilij, siue signi cœlestis, cuius decreta in genesi inuestigant. Atq; his omnibus subijciunt certos Canones, longa seculorum experientia comprobatos. Hæc ferè est Methodus, quam & hic noster autor obseruat studiosissimè.

Est & hoc notabile, quòd hic æqualia duodecim locorum cœli interualla in orbe signifero ubique retinet, quod & Ptolomæus & uetustissimi rerum cœlestium doctores secuti sunt. Quanta est enim tum ordinis, tum ipsarum etiam influentiarum confusio, ubi ter na quandoque signa, secundum Neotericorum inuẽta, in eandem domum confluunt? Aut ubi unicum signum, quasi repulsis alijs, terna sæpe cœli occupat domicilia? Hæc quantum distent à priscis sapientum rationibus & præceptis, res ipsa, et superiorum seculorum monumenta loquuntur. Nam secundum Neotericos incident sæpe eiusdem domus diuersissima, ac planè contraria decreta, diuersis in ea coëuntibus signis, uel si id quod in cuspide extat præteleris, cætera tanq̃ ἄνοημα relinquantur necesse est. Aut eædem prorsus erunt diuersarum domorum influentiæ, sicubi signum in aliqua initium sumens per tres cuspides extenditur. Tam obstinatè operam dant, ut orbis signorum influentias ad regulam illam primi mobilis adstringant, ut ipsa etiam decreta influentiarum aut perturbent prorsus, aut penè ab eo circulo diuellant. Ac probè quidem hæc ipsis successisset ratio, si tam fixa, quàm errantia sidera, ad uiam Solarem posita, cum ipsis luminaribus eò simul traduxissent.

Quid tandem quæso obstat ipsis cœli influentijs, quod partes orbis signiferi uel obliquè uel rectè meant? Cum ipsam obliquitatem eius circuli causam esse omnium mutationum, generationum & corruptionum in rebus & corporibus inferioribus, omnes Philosophi adfirment? Et id non quidem per se, sed propter uarios luminarium, & Planetarum in eo discursus ac congressus. Cur non eâdem opera (si omnino libet ueterum inuenta, & fundamenta artis omnia labefactare, & euertere) etiam signorum nomina, & distributiones ad eundem æquinoctiorũ parallelum transferunt? Tum enim erit uniformis circuli ascensus ac descensus, Tum à polis mundi deducti circuli æqualia domiciliorum spacia describent, ac disterminabunt. Non eueniet illa confusio & inæqualitas in distributione locorum. Verum his (ut dixi) ipsa natura repugnat, quæ influentiarum circulum multis insignibus astris circumdedit, & exornauit. Ipsi quoque Planetarum motus refragantur, qui sua curricula non ad æquatoris, sed ad Zodiaci limitem deflectunt, quorum congressus ac configurationes cum Stellis hærentibus in eo circulo, mirabiles habere effectus, experientia rerum cœlestium magistra, præclarè docet ac monstrat. Sit igitur ἰσημερινός primi mobilis Regula, ac temporum distributor, non signorum Zodaici (ut ita dicam) Regulator: quorum appellationem etiam pro domorum uocabulo ueteres usurpasse, præter cœteros hic quoq; autor testatur.

Potest Ecliptica simili planè ratione (sicut à primis artis inuentoribus traditũ accepimus) à polis eius deductis circulis, in duodenas æquales partes distribui. Suffragantur huic influentiæ ac motus cœlestes, & an-

& antiquorum monumenta, naturæ deniq; ipsius consensus. Verum hæc à doctissimo uiro D. Ioanne Schonero eruditissimis ac certissimis rationibus ac testimonijs sunt confirmata. Tantum hæc admonitum uolui lectorem, ut obseruet in istis uetustis exemplaribus, quam distributionem domorum cœli ueteres obseruarint. A te uero, Præceptor doctissime, etiam atq; etiam peto, ut hoc uile munusculum, gratitudinis ergò tam Schoneri, q̃; meo nominè ad te missum, boni cõsulas. Quòd si intellexerimus tibi probari nostrum studium in eo genere, dabimus operam, ut Albumasarem, quem in plerisq; locis à prisco Archetypo plurimum discrepare animaduertimus, & auctiorem non contemnendis accessionibus, & in plerisq; locis emendatiorem studiosis communicemus, & si qua præterea iudicabimus communibus studijs profutura. Ac te quoq; uicissim & hortamur, & oramus publico omnium nomine, ut tandem nobis integram Ptolemaici Quadripartiti uersionem cum doctissimis tuis commentarijs adornes. Ita enim planè futurum confidimus, ut hæc diuina rerum cœlestium studia pristinam lucem, ac dignitatem suam recuperẽt. Quod, ut facias, te sanctissimè obsecramus, & obtestamur. Bene ac fœliciter uale, decus literarum, & ueræ religionis Philippe. Datę ex celebri Germaniæ Noriberga Calendis Aprilis, Anno salutis nostræ, M. D. XLVI.

INCIPIT LIBER ALBOHALI DE iudicijs natiuitatum.

DIXIT Albohali: Iste est liber, in quo exposui & congessi omnes significationes super natiuitates de scientia iudiciorum Stellarum, quæ non debent ignorari ab aliquo artifice huius magnæ scientiæ & excelsæ, cuius certitudinem, Deo adiuuante, breuiter ac simpliciter aperiemus.

CAPVT I. De Nutritione.

PRimum omnium necessarium est præscire scientiam nutritionis, in qua debes considerare dominos triplicitatis ascendentis, & dominos triplicitatis Solis in die, & dominos triplicitatis signi Solis in die coniunctionis, uel præuentionis, quæ fuit ante natiuitatem: Et Iouem ac Venerẽ, & planetas diurnos, si natiuitas fuerit diurna, Et planetas nocturnos, si natiuitas fuerit nocturna.

Incipies autem cum dominis triplicitatis ascendentis scilicet primo, & secundo domino, Ac si fuerit unus ex illis in ascẽdente, uel in medio cęli, uel in undecimo aut quarto loco liber ab impedimẽtis, & à maleficis stellis; significat nutritionẽ bonã; Si Deus uolueri-

Verum ſi fuerint ambo cadentes, & impediti à malis, aſpice dominos triplicitatis Solis, ſi fuerit natiuitas diurna, uel dominos triplicitatis Lunæ, ſi fuerit natiuitas nocturna, Qui ſi fuerint in bonis locis liberi ab impedimentis & ab infortunis, ſignificant nutritionē.

Quòd ſi iſti quoque fuerint impediti, & in malis locis, aſpice dominos triplicitatis partis fortunæ, qui ſi fuerint in bonis locis liberi ab impedimentis, & Sol aſpexerit partem fortunę in natiuitatibus diurnis, aut Luna in natiuitatibus nocturnis, ſignificant nutritionem.

Sed hiſce etiam impeditis, & in malis locis exiſtentibus, conſidera dominos triplicitatis ſigni coniunctionis, ſiquidem natiuitas fuerit coniunctionalis: uel ſigni præuentionis, ſi oppoſitio præceſſerit, qui ſi extiterint in angulis, uel in ſuccedentibus angulorum, nullis infeſtati impedimentis, aut maleficarum radijs, ſignificant nutritionem.

At ſi fuerint impediti, & in malis locis, aſpice Iouem aut Venerem, quòd ſi fuerit unus eorum in angulis, uel ſuccedentibus angulorum, liber à malis & impedimentis ſignificat nutritionem.

Sin ambo fuerint impediti, & in malis locis, aſpice Lunam, quæ ſi fuerit libera à maleficis & impedimentis, extiteritq; in aſcendente, uel in medio cœli, Planeta diurnus in natiuitatibus diurnis, uel Planeta nocturnus in natiuitatibus nocturnis, ſignificat nutritionem.

At ſi nēquè Lunam impedimentis uacuam, nequè idoneo loco collocatam inueneris, conſidera qui planetarum habeant maiorem ſignificationem de dominis triplisitatis aſcendentis, & triplicitatis Solis in die: & Lunæ in nocte, & triplicitatis partis fortunæ, & triplicitatis ſigni coniunctionis uel præuentionis, illius ſcilicet, quæ proximè præceſsit natiuitatem, Qui ſi fuerint in angulis uel ſuccedentibus angulorum liberi à malis & impedimentis, ſignificant nutritionem, & ſi ſi fuerint impediti, & in malis locis, ſignificant paruam nutritionem & impeditam, ac breue uitæ tempus,

Viuet autem natus tantum, quantum fuerit de gradibus inter Planetam, qui fuerit almutez ſuper natum, & inter malos, de diebus menſibus uel annis. Simili prorſus ratione ſi fuerit almutez ſuper natum cadens, & gradus aſcendentis, Lunæq; applicati fuerint malis, uiuet natus ſecundum numerum graduum, qui fuerint inter gradum aſcendentis & malos, de diebus menſibus, uel annis.

Eodem modo ſi fuerit gradus Solis uel Lunæ in coniunctione, uel in quadrato aut in oppoſito aſpectu infortunæ, fuerintq; inter ipſos gradus pauci, uiuet natus per dies, mēſes, uel annos, ſecundum quantitatem graduum, qui fuerint inter eos. Similiter ſi Dominus Anaubæ, ſcilicet luminare, cuius fuerit autoritas, in cōiunctione, quartoúe, aut oppoſito aſpectu maleficarum inuentus fuerit, ſignificat breuem uitam, niſi fortis fortuna eum reſpiciat.

Et ſi fuerit Luna inter duos malos obſeſſa, quorum alter ſit in aſcendente, alter in ſeptimo cœli loco, & maxime cum fuerit malus iuxta aliquem angulorum, & Luna impedita in uno angulorum, ſignificat paruam uitæ moram. Porrò quando impediti fuerint domini triplicitatis aſcendentis, Solis, Lunę, partis fortunæ, & ſigni coniunctionis uel præuentionis quouismodo, præter caſum ab angulis, ſignificant nutritionem, ſed non ſine labore & difficultate.

Quando autem ceciderint ab angulis domini triplicitatis aſcendentis primus & ſecundus, aliàs etiam impediti, ſignificant paruam nati durationem, pręſertim ſi fuerit Saturnus in angulo in natiuitatibus nocturnis, uel Mars in diurnis. Si uero Luna recepta fuerit, ſignificat bonitatem nutritionis, & beneuolentiam hominum erga ipſum, & multitudinẽ fratrum ac ſororum amicorumq́ę. Et ſi non fuerit recepta, ſignificat contrarium. Quando etiam pars fortunæ fuerit cum Luna, & Venus reſpexerit eam in natiuitatibus nocturnis, uel Iupiter in natiuitatibus diurnis, ſignificat bonam nutritionem, & maximè ſi pars ipſa fuerit in bono loco.

Omnis denique Planeta quando ſignificauerit nutritionem, & fuerit Orientalis, & in ſigno maſculino in natiuitatibus diurnis, uel Occidẽtalis in ſigno fœminino, in geneſi nocturna, erit fortitudo eius maior, & teſtimonium eius ſuper bonam nutritionem ueracius.

Et quando impeditũ fuerit Aſcendens, & dominus eius, & Luna eiusq́ę dominus, ſignificat breuem & caducam uitam, mortisq́ę celeritatem. Idq́ę eo potiſsimum tempore continget, quando in anno peruenerit profectio anni ad angulum, in quo fuerit aliqua maleficarum.

Quòd ſi natus ex anno primo euaſerit, & uideris natiuitatem, quæ ſignificat paruam nati durabilitatem, diriges ſignum aſcendens ad coniunctionẽ, quadraturam, aut oppoſitionem infauſtorum ſiderum, dando unicuique ſigno menſem, & ſi tranſierit hoc quoq́ę tempus annũ unum, tunc erit ſignum mortis. Et fac tibi teſtimonium de bonitate cibariorum & nutritionis, per ſignum quintum & dominũ eius, & per locum Lunæ in die tertio, & ſeptimo à natiuitate. Ex horum enim proſperitate aut impedimento, ſcitur bonitas, uel deſtructio nutritionis, & augmentum uel diminutio, Si Deus uoluerit.

CAPVT II.

De Hylech & ſcientia ſpacij uitæ.

Vando nutritionẽ inueneris natò, & uolueris ſcire quantitatem uitæ eius, quære Hylech, in natiuitatibus quidem diurnis à Sole incipiẽdo, qui ſi fuerit in angulis, uel ſuccedentibus angulorũ in ſigno maſculino, uel in quarta maſculina, & aſpexerit eum dominus domus eius, uel dominus termini eius, uel dominus exaltationis, triplicitatisúe eiuſdem, uel faciei, tunc poterit eſſe Hylech.

Et non poteſt Sol eſſe Hylech, neq; alius Planeta, niſi reſpiciat eum aliquis de Dominis quinq; dignitatum eſſentialium, idq; iudicium perpetuo eſt obſeruandum in omnibus Hylegijs.

Quòd ſi modo prædicto Sol non fuerit Hylech, Aſpice Lunam, quæ ſi fuerit in augulis uel ſuccedentibus angulorum, uel in ſigno fœminino, uel in quarta fœminina, & aſpexerit eã aliquis de Dominis quinq; dignitatũ prædictarum, erit Hylech. Sin diuerſo modo Luna ſeſe habuerit, non erit Hylech. Tunc enim ſi fuerit natiuitas coniunctionalis, quære Hylech aſcendenti, ſicut quæſiuiſti Soli & Lunæ.

Porrò ſi neq; huic Hylegiũ decerni poteſt, quære Hylech parti fortunæ, Quòd ſi neq; huic euenerit, ſimiliter quære Hylech ab aliquo illorum, qui dignior fuerit in gradu cõiunctionis uel oppoſitionis luminarium, quæ fuerit ante natiuitatem.

In natiuitatibus uero nocturnis, incipe à Luna, quæ ſi fuerit in angulis, uel in ſuccedentibus angulorum, in ſigno fœminino, uel in quarta fœminina, & aſpexerit eum unus ex Dominis quinq; dignitatum eſſentialium, erit Hylech, Quòd ſi hęc nõ fuerit, ita ut diximus nec ſatis idonea, quæ ſit Hylech, quære Hylech à Sole, qui ſi fuerit in angulis, uel in ſuccedentibus angulorũ in ſigno maſculino, uel in quarta maſculina, & aſpexerit eũ unus ex Dominis quinq; dignitatũ, erit iſte Hylech. Qui ſi minus aptus fuerit ad Hylegij dignitatem, ipſaq; geneſis præuentionalis fuerit, quære Hylech à parte

parte fortunæ. Verum ſi neq; ea fuerit apta Hylegio, elige Hylech itidem gradui coniunctionis uel prœuentionis, quæ præceſsit proximè natiuitatem, qui ſi extiterit in angulis uel ſuccedentibus angulorum, & aſperit eum unus ex Dominis quinq; dignitatum eſſentialium, erit Hylech.

Quando uerò Sol fuerit Hylech, & non habuerit Alcochoden aſpicientẽ, quære Hylech gredui aſcendentis, Qui ſi fuerit Hylech, & non habuerit Alcochoden, quære Hylech gradui coniunctionis uel præuentionis, quæ fuerit ante natiuitatem. Tandem ſi nullus iſtorum Hylech habuerit Alcochoden, erit natus imbecillis uitæ, & parui temporis.

Notandum tamen eſt, quando elegeris Hylech aſcendenti, aut parti fortunæ, aut gradui coniunctionis uel oppoſitionis, non curabis, utrum ſit in ſignis maſculinis uel fœmininis (Quia in omnibus ſignis eſt bonum) Sed conſiderabis utrum ſit in angulis uel ſuccedentibus angulorum. Et quando pars fortunæ fuerit Hylech, non quæres alium Alcochoden, niſi Dominum domus, aut exaltationis ſiue termini.

CAPVT III.

De Alcochoden, & quid ſignificet de uita.

Vando ſciueris Hylech, & uolueris ſcire Alcochoden, aſpice Dominum termini Hylech, & Dominum domus, & Dominum exaltationis eius, triplicitatisúe aut faciei, & ſi ali-

ſi aliquis illorum aſpexerit Hylech, ipſe eſt Alcochoden, & ſi reſpexerint eũ duo ex illis uel tres, uel oẽs, ille qui habuerit plures dignitates, & fuerit ei propior in gradibus, Alcochoden erit. Quòd ſi fuerit unus plures habens dignitates in loco Hylegij, propior ei in gradibus, & non aſpexerit Hylech, accipiemus primũ proximum ei in fortitudine dignitatum, dum tamen aſpiciat Hylech, ipſe erit Alcochoden.

Et ſcito quòd Sol Hylegialem ſortitus dignitatem, quando fuerit in Ariete uel Leone, & nõ proſpexerit eum aliquis de dominis quinq; dignitatum, ipſe erit Hylech & Alcochoden. Simili planè pacto Luna quoq; cum fuerit in Cancro uel Tauro, & non aſpexerit eam aliquis de dominis quinq; dignitatum ſigni in quo eſt, ipſa erit Hylech & Alcochoden.

Quando autẽ ſciueris Alcochoden, aſpice ſi fuerit in angulis in domo uel exaltatione, uel triplicitate ſua, ac Orientalis liber à malis, & retrogradatione ac combuſtione, ſignificat nato annos ſuos maiores. Et ſi fuerint in ſequenti angulorum, in ſimilitudine prædicta in angulis, decernit nato annos ſuos medios. Sin fuerit in cadentibus ab angulis, cum ijs conditionibus, quas præſcripſimus in angulis, tribuit annos ſuos minores. Sciendum tamen, quod quantũ minuet Alcochoden de ſua cõuenientia, fortitudine, ac dignitate, uel etiam per applicationes ſtellarum, tantum minuet ipſius ordo de ſignificatione ſua, ſecundum qualem locum fuerit in circulo. Et quando non fuerit Orientalis

rientalis conuertetur. Et ſcito, quòd ſi aliquo iſtorum modorũ, quos recitaui, diminutus fuerit Alcochoden, minuet de annis ſuis ſecundum locum circuli in hunc modum, quem dixero.

Quando enim fuerit in angulis (ſed quod dixi, excepto quòd non ſit Orientalis) conuertetur de annis maioribus ad mediocres. Et ſi fuerit occidentalis & peregrinus, deſcẽdet de annis mediocribus ad minores. Et ſi fuerit occidentalis, peregrinus, retrogradus & cõbuſtus, conuertetur de qualitate annorum minorum & menſium, ad ſimilitudinem eiuſdem qualitatis eorũ ad dies. Idq; obſeruabis ſimiliter in cœteris impedimentis Planetarum, & in cœteris locis circuli, Quia regula una eſt. Et ſcito quòd caput Draconis Lunæ, quando fuerit ante eum uel poſt, augebit quartã partem de annis, quos ſignificauerit Alcochoden, & quanto plus fuerit ei propior in gradibus, tanto erit melius. Verum quando cauda eius loco fuerit, minuet quartã partem de annis, quos ſignificanerit Alcochoden, & quãto fuerit ei uicinior, tanto erit deterius, & maxime ſi Sol aut Luna fuerit Alcochoden, Luna tamen plus ex ea detrimẽti capit. Sic dixit Ptolemæus, quòd caput cũ Planetis auget, & cauda minuit, ſed plus cũ Luna. Ac ſi fuerit Alcochoden in tali ſimilitudine, & conſtitutione, ut ſignificet paruam uitam, & fuerit Iupiter & Venus in Aſcendente uel medio cœli, erit ſpes, quòd natus tantum plus uiuet, quantum fuerit in minoribus annis eorum, niſi ſit terminus Aſcendentis & Lunæ

impeditus à malis, uel ſit aliqua de iſtis fortunis, quæ ſignificauerit uitam domina domus mortis; quia tunc ſignificatur parua uitæ mora, & celeritas mortis.

CAPVT IIII.

Quantum addant, uel ſubtrahant Stellæ annis Alcochoden.

Anni quos ſinguli Planetæ cum Alcochodeæ ſunt, decernunt in

	Angulo Maiores	Succedente Medios	Cadente. Minores.
Saturnus	57	43½	30
Iupiter	79	45½	12
Mars	66	40½	15
Sol	120	69½	19
Venus	82	45	8
Mercurius	76	48	20
Luna.	108	66½	25

Quando igitur cognoueris quantum ſignificauit Alcochoden de annis, menſibus, & diebus, & uolueris ſcire quid addiderint ei, uel minuerint Planetæ ab eodem, ſic facito: Conſidera diligenter ſi fuerit cum eo fortuna iuncta, uel aſpexerit eum trino uel ſextili aſpectu, addet ei annos ſuos minores, & ſi fuerit mediocris in fortitudine, tot menſes, & ſi fuerit imbecillior, dies uel horas. Si uero malus iunctus ei fuerit, aut aſpexerit eum quadrato oppoſitoue aſpectu, minuet ab eo annos ſuos minores. Sciendum tamen quadratos uel oppoſitos fortunarum radios, Alcochodeo nihil addere aut detrahere, Sicut etiam ſextiles ac trigoni infortunarum nullam neq; additionem, neq; diminutionem faciunt. Mercurius autem quando fuerit cum fortunis, quæ addunt, adijciet Alcochodeo ſuos annos minores, & ſi fuerit cum malis, minuet eos. Ex omnibus autem qui plurimum impedit Alcochoden, eſt Mars. Sed quando ſciueris, quot annos dederit Alcochoden, dirige Hylech cum gradibus aſcenſionis, quouſq; perueniat ad corpora uel radios malorum. Quando enim illuc peruenerit, ſignificat deſtructionem nati. Salua tamen Dei omnipotentia.

CAPVT V.

De qualitate animi nati.

Vando ſcire uolueris mores animi nati, aſpice dominum aſcendentis, & Mercurium qui ſignificator eſt potentiæ intellectiuæ, loquelæ & orationis. Qui ſi fuerit in ſignis mobilibus, ſignificat intellectus ſublimitatem, facilem captum, & pulchritudinem atq; amorem ſcientiarum, ac religionem. Si uero extiterit in ſignis communibus, ſignificat paruum intellectum cum magna celeritate, ac uelocitatem iræ, raramq; ac paruam ſtabilitatem aut perſeuerantiam in incœpto, uel conſilio,

☉ in ♌ fixo

☿ in ♎ mobile

uel negocio. Porrò si fuerit in signis fixis, significat prudentiam, constantiam, misericordiam, & expletionem rerum susceptarum.

Quòd si utercq; significator animæ, dominus uidelicet ascendentis, ac Mercurius Orientales fuerint in angulis uel succedentibus angulorum, significant bonitatem animi atq; morum, & stabilitatem in rebus agendis. Sin uero Occidentales & cadentes eos inueneris, significant importunitatem & petulantiam animi, magnamq; ingluuiem, uoracitatem, ac celeritatem. Atq; hi significant res animæ, atq; mores nati: sicut Luna & ascendens significant corpus.

Cæterum, quilibet Planetarum dominium Horoscopi sortitus, habet suas certas ac discretas significationes super res animæ, quas breuiter atq; ordine, quantum fieri potest (iuuante deo) explicabimus.

Sol dominium ascendentis obtinens, in bono loco liber à maleficis, significat intellectus profunditatẽ, facilitatem, dexteritatemq; ingenij, & timorem Dei ac stabilitatem, principatum atq; regnum. Sed si fuerit impeditus aut cadens, significat uilitatem animi, nullius precij, exiguæ existimationis, paruę scientiæ, plurimęq; stultitiæ hominem.

Cum uero domina ascendentis Luna, fuerit in idoneo ac fausto circuli loco, libera à malis, significat augmentationem nati, pulchritudinem faciei, ac facilitatem & perfectionem nutritionis atq; creationis.

Si uerò in malo loco extiterit, significat difficultatem nutritionis, malum animum, fœditatem carnis, inscitiam faciei, & malam compositionem corporis.

Quando autem Saturnus fuerit dominus ascendentis, & fuerit in bono loco, liber à malis, significat magni precij hominem, profunditatem atq; singularitatem consilij, & paucitatem interrogationis. At si fuerit in malo loco impeditus, significat seruile, ac parui precij ingenium, ignobilitatem animi atq; uersutiam.

Iupiter dominus ascendentis, in bono loco liber à malis, promittit principatum & nobilitatem, ac sublimitatem animi. Sed si in malo loco inueniatur, significat susurronem, simulatorem & mendacem.

Porrò Mars dominus ascendentis, liber à malis in loco idoneo, decernit audaciam & temeritatem, regnum aut ducatum, exercitium & famam in terris & domibus regum. Eodem uerò impedito à malis in loco malo, significatur timiditas ac uilitas animi, mala suspicio, & multitudo inuolutionis in operibus ac dictis.

Verùm Venere dominium ascendentis occupante, posita in bono loco, libera à malis, significat bonam corporis compositionem, pulchritudinem, suauitatem, & ornamenta muliebria, ac gaudium. Quòd si fuerit impedita in malo loco, significat fœditatem, callidita-temq; ac mulierositatem, prostitutam pudicitiam & uerecundiam ac turpitudinem luxuriæ.

Si uerò dominus ascendentis Mercurius fuerit in bono loco, liber ab infortunijs, largitur nato eloquentiam, sapientiam, suauitatem, pulchritudinẽ, scripturæ

peritiam, scientiam, & excellentiam solertiamq; in inueniendo ac componendo. Idem si impeditus & in malo loco fuerit, natus erit fallax, mendax, procliuis ad malas artes, omnemq; maliciam, deprauator literarum, & si qua sunt eiusmodi dolis fraudibusq; obnoxia.

Operæprecium est autem obseruare eius applicationem cum reliquis Planetis, quia citò commiscetur cum illis. Si enim fuerit cum Saturno, uel applicuerit illi, significat grauitatem linguæ, cum subtilitate ingenij ac multitudine silentij, inuestigationem Physicæ, ac sententiarum subtilium, adiuncta tamen fœditate luxuriæ ac libidinum.

Idem si cum Ioue fuerit, uel ei applicuerit, significat honestatem ac prudentiam, subtilitatem, doctrinam ac principatum. Et si fuerit cum Marte, aut ei applicans, significat garrulitatem uerborum, mendacium ac falsitatem, deceptionem, Si masculus fuerit, mulierosus erit, Si fœmina, uirago.

Vbi uero inuenitur cum Sole, uel ei applicat, natus se Regibus, Principibus ac doctis admiscebit et adiunget. Coniunctus autem Veneri uel corpore uel radijs, significat amorem scientiæ, aduocationē in causis, & contentionem in sectis.

Quando denique cum Luna fuerit, aut eidem applicuerit, significat amorem mutationis de loco ad locum, & multitudinem peregrinationis, cum bona consideratione in rebus ac scientiarum omnium amore.

Verum

Verum ipsa inuestigatio uirilitatis aut mulierositatis, fortitudinis aut imbecillitatis, augmentationis, aut diminutionis, in qualitatibus animæ nati, præcipuè pendet ex naturis ac qualitatibus signorum, uidelicet ex sexu, fortitudine, debilitate, augmentatione signorum, in quibus prædicti significatores animæ inueniuntur. Atq; hæc est scientia descriptionis animi & morum nati. Iam uero patefaciam tibi hoc libro prognosticorū, doctrinam iudiciorum, cum testimonijs, quæ significāt super natiuitates Regum.

CAPVT VI.

De Testimonijs, quæ significant super natiuitates Regum.

ASpice inprimis gradum ascendentis: Si enim fuerit in ipso aliqua de stellis fixis luminosis, primę magnitudinis, uel secundę de natura bonorum Planetarum, uel fuerit iuncta gradui medij cœli, uel alicui luminarium, & maximè Soli in natiuitatibus diurnis, ac Lunæ in natiuitatibus nocturnis, Aut si iunctæ fuerint duobus locis ex istis, uel tribus, natusq; ex genere Regum fuerit, uel mereatur habere regnū, significant regnum altissimū, & si non fueririt dignus regno, erit mādatum eius, transiens sicut mandatum regis, apud eos qui sunt sub eo: Ipse tamen erit sub manibus regis, & erit positus super dispositionē legationum in uulgi causa, fa-

ſa, faciendi ei bonum uel malum, & conſequetur altitudinem, ac potentiam maximam.

Quòd ſi Sol fuerit in exaltatione ſua, in natiuitatibus diurnis, uel Luna in nocturnis in exaltatione ſua uel in medio cœli, uel in Aſcendente, uel aſcēdens fuerit ſignum regium, & dominus aſcendentis in eodem loco, uel in medio cœli extiterit, ſignificant natiuitates regum, ſi natus fuerit ex regia ſtirpe, uel illius qui fuerit dignus, uel perueniet ad dignitatem tanq̃ rex, in qua diſponet res publicas.

Et quando Sol in natiuitatibus diurnis, aut Luna in nocturnis, fuerint in gradibus ſuarum exaltationū, ſignificant regnum. Ipſa etiam luminaria applicantia domino aſcendentis, ſi ipſe in exaltatione ſua Orientalis in aliquo angulorum fuerit, ſignificant natiuitates Regum, uel talium, qui peruenient ad regiam dignitatem. Et ſi dominus medij cœli applicuerit domino aſcendentis, & ambo fuerint in angulis Orientales, ac in exaltationibus ſuis, decernunt uel regiam nato dignitatem ac potentiam, uel applicationem ad eam, uel ſimilē in qua ſit diſpoſitio rerum publicarum penes ipſum.

Similiter quando omnes Planetæ ſe Ioui applicuerint, & ipſe fuerit in medio cœli Orientalis in exaltatione ſua, ſignificat regnum. Eodem planè modo cœteri quoq̃ Planetæ, quando fuerint in medio cœli Orientales in exaltationibus ſuis, ſignificabunt regnum. Et Sol cùm in medio cœli fuerit receptus, & Luna in trino aſpectu eius, regnum ſignificabit.

Idem

Idem decernit dominus triplicitatis aſcendentis, quando applicuerit domino aſcendentis, uel cum fuerit dominus aſcendentis in medio cœli, uel aſcendente orientalis. Conſiderabis etiam ductoriam Planetarum diurnorum Solis, & ductoriam Planetarum nocturnorum Lunæ, quando fuerint orientales à Sole, & occidentales à Luna, ac in exaltationibus domibusue ſuis, & luminaria in exaltatione aut domo ſua, in angulis illos mutuo aſpicientia, ſignificant Reges uel ſimiles eis.

CAPVT VII.

De proſperitate & aduerſitate nati.

Aspice in re proſperitatis & ſubſtantiæ nati, & quo peruenturus ſit in multitudine uel paucitate eius, dominos triplicitatis illius luminaris, quod habet dominium temporis. Quia ſi fuerint illi in angulis liberi à maleficis ſtellis & ab impedimētis, ſignificant proſperitatem nati omnibus diebus uitæ ſuæ, & maximè ſi fuerit dñs triplicitatis primus in quindecim gradibus primis ſigni, quia tunc magis proſperabitur, & quanto propius fuerit circa gradū alicuius anguli, tanto erit melior, & maior proſperitas nati. Sin fuerit in alijs gradibus anguli poſt prædictos 15. non proſperabitur tantum, quantum ſuperius dixi, ſed tantundem erit, ac ſi Planeta in ſuccedenti

d

cedenti esset. Primo item domino triplicitatis, ita ut dixi fortunato, si secundus ac tertius fuerint cadẽtes & impediti, significat dñs triplicitatis primus prosperitatẽ nati in initio uitę ipsius nati, & alij significant aduersitatẽ, & detrimentũ in medio, & in fine uitę ipsius.

Eâdem ratione si dominus triplicitatis primus cadens ac impeditus à malis fuerit, sed reliqui duo liberi ab impedimentis ac malis in angulis extiterint, significat dominus triplicitatis primus aduersitatem, & infortunium nati in initio uitæ, & prosperitas eius erit in medio & in fine uitæ. Sed qñ fuerint oẽs dñi triplicitatis, & domini Anaubæ cadentes ac impediti, significãt laborem, & aduersitatem nati, & paucitatem uitæ. His tamen ita constitutis, Si fortunæ in angulis, & mali cadentes fuerint, significatur prosperitas nati. Et si fuerint luminaria in bono esse, significant fœlicitatem, & precium altitudinis nati. Porrò si dominus ascendentis, ac Luna in angulis fuerint liberi à malis & impedimentis, & quòd applicuerint se planetis in angulis, promittunt nato prosperitatẽ, maximè si fuerint recepti.

Et si applicuerit dominus ascendentis luminaribus, & ipsa reperiantur in exaltationibus, uel domibus suis, uel si luminaria se applicuerint domino ascendentis, & ipse fuerit in exaltatione, uel in domo sua, significant fortunam nato in tota uita.

Quod si pars fortunæ, & dominus eius liberi à malis, & Orientales ex angulis aspexerint ascendens, significant fortunam nati durabilem, & magnitudinẽ

precij

precij existimationisq; eius. Sin uerò ijdem significatores cadentes impedितiq; fuerint, minantur nato laborem & paruam prosperitatem, maximè uerò si non aspexerint ascendens.

Quando domini ascendentis fuerint cadentes ab angulis, applicantes tamen planetis in angulis, significant prosperitatem post laborem. Similiter quando dominus ascendentis fuerit cadens, & in descensione sua, & applicuerit se Planetæ, qui fuerit in domo, uel exaltatioone sua significat prosperitatem cõsecuturam post labores. Atq; hæ quidem sunt similitudines, quas antiqui probauerunt in prosperitatis, & laborum significationibus.

Natiuitas nocturna ascendentibus Geminis.

Sol & Venus in Leone, Saturnus ac Luna in Scorpione, Mars in Aquario, Iupiter in Tauro, Mercurius in Virgine, significatur in ista figura, infortuniũ ipsius nati à dominis triplicitatis Lunæ, quia fuit natiuitas nocturna. Erat autem dominus huius triplicitatis primus Mars, secundus Venus, ambo cadentes ab angulis, qui significabant paupertatem, & malum esse nati. Quare etiam pauper fuit natus iste, nec habuit uictum suum, nisi post laborem.



Natiuitas nocturna aſcendente Ariete.

Sol & Mercurius in Aquario, Luna in Sagittario, Saturnus & Mars, in Scorpione, Iupiter in Cancro, Venus in Capricorno. Significatur fortuna ipſius nati â dominis triplicitatis Solis, Quia fuit natiuitas diurna. Erat enim dominus triplicitatis huius primus Saturnus, ſecundus Mercurius, ambo in ſuccedentibus angulorum. Saturnus quidem in ſuccedēti angulo occidentis

dentis, & Mercurius in ſuccedenti angulo medij cœli, qui ſignificabant proſperitatem ac diuitias, & multitudinem ſubſtantiæ. Fuit ergo hic natus in re lautiſsima abundans pecunijs in ſummo honore, ac maxima proſperitate.



Natiuitas nocturna, aſcendente Scorpione.

Luna in Scorpione, Sol in Ariete, Mars in Aquario, Venus in Tauro, Mercurius in Piſcibus, Iupiter & Saturnus in Virgine. Significatur fortuna ipſius

☽ ♑
☉ ♈
♀ ♉
♂ ♐
♃ ♍



nati à dominis triplicitatis Lunæ, fuit enim natiuitas nocturna. Dominus primus triplicitatis Lunæ fuit Mars, ſecundus Venus, tertius Luna, omnes in angulis qui ſignificauerũt proſperitatem, ſublimitatem & regnum, & ideo fuit uir iſte magnus, excelſus, & ſtabilis in proſperitate, donec corona aurea fuit poſita in caput eius, ac argentea cũ margaritis, & lapidibus precioſis, ac laus eius fuit in ore omnium hominum.

♂ ♀ ☽

Nati-

Natiuitas diurna aſcendente Cancro.



Sol & Mercurius in Ariete, Iupiter & Luna in Cancro, Saturnus in Piſcibus, Venus in Tauro, Mars in Scorpione. Hæc figura ſignificat fortunam nati à dominis triplicitatis Solis, quia fuit natiuitas diurna. Et fuerunt huius triplicitatis dominus primus Sol, ſecundus Iupiter, ambo in angulis & exaltationibus ſuis, qui ſignificabant eius ſublimitatem & fortunam, ac facultatum multitudinem, famam bonam, & laudem

☉ ♀ ♈
♃ ☽ ♋
♄ ♐
♀ ♉
♂ ♍

laudem maximam apud reges & nobiles. Et Saturnus dominus triplicitatis tertius non impediebat eũ, cũ quis erat cadens ab angulo in domo Iouis, & aspiciebant se trino aspectu, ideo significabant quòd ipse natus fuerit honoratus & collaudatus apud reges altissimos.

Natiuitas nocturna ascendente Cancro.

Iupiter & Luna in geminis, Saturnus Sol & Mercurius in Scorpione, Mars & Venus in Virgine, significatur fortuna istius nati à dominis triplicitatis Lunæ, quia natiuitas fuit nocturna. Eius triplicitatis dominus primus fuit Mercurius, & secundus Saturnus, cadentes ab angulis, quorum significatio penuriam & paupertatem portendebat. Sed Iupiter tertius Domiuus huius triplicitatis erat in succedenti angulo medij cœli, qui temperauit & refrenauit infortunium prouenientes ab alijs duobus prædictis. Fuit ergo natus iste mediocris uitæ, qualis est religiosorum.

Natiuitas diurna ascendentibus Geminis.

Sol, Saturnus, & Luna in Piscibus, Mercurius ac Iupiter in Ariete, Mars in uirgine, Venus in Tauro, Consideraui fortunam istius nati, à dominis triplicitatis Solis, quia fuit natiuitas diurna, cuius dominus primus erat Sol, secundus Iupiter, tertius Saturnus, oẽs in angulis existentes, quorum significatio fortunam et multitudinem diuitiarum insinuabat, & ideo uir iste fuit sublimis ac diues, habens plurimum auri & argenti.

Natiuitas diurna ascendente Scorpionis principio.

Iupiter in Libræ uicesimo primo gradu 12. minuto, Sol in Libræ octauo, Mercurius in Scorpionis 11. gradu, 15. minu. Saturnus in Tauri, 15. gradu. Luna in Leonis 26. gra. Mars in Virginis, 18. grad. Pars fortunæ in Virginis 18. gradu. Caput Draconis Lunæ in Tauri 8. gra. 40. min. Hæc constellatio significat fortunam istius nati à dominis triplicitatis Solis, quia natiuitas fuit diurna. Cuius dominus primus fuit Saturnus, secundus Mercurius, tertius Iupiter, Quorum quisque erat detrimentum alij. Saturnus enim erat in oppositione Mercurij coniunctus capiti Draconis, ac cadens: Iupiter similiter cadens & pars fortunæ cum Marte, & dominus partis coniunctus caudæ in oppositione Saturni, qui significauerunt laborem & paucitatem bonorum, ac perturbationem sensuum, quæ sic acciderunt huic nato.

Natiuitas nocturna, ascendente Virgine.

Luna in Geminis, Saturnus, Sol & Mercurius in Aquario, Mars in Capricorno, Venus in Sagittario, Iupiter in Virgine. Significatur fortuna istius nati, à dominis triplicitatis Lunæ. Fuit enim nocturna genesis, & erat dominus primus triplicitatis Mercurius, secundu

cundus Saturnus, ambo cadentes, qui significabant paupertatem,& malum esse istius nati,& ita accidit,adeo, ut uir iste tenuis fortunæ fuerit, nullis abundans rebus,nisi post sudorem ac laborem. Sed quia Iupiter ac Venus erant in angulis, significauerunt sanitatem corporis eius,ac bonam nutritionem, & uictum à regibus ac principibus multisq; amicis.

Natiuitas nocturna ascendenti Geminorum.16.gra.

Luna in Arietis 16. gra. Iupiter in Scorpionis 22. Venus in Scorpionis 13. gra. Saturnus in Piscium 15. gradu. Mercurius in Scorpionis 21. Sol in Sagittarij 9. gra. Mars in Sagittarij 19. Caput Draconis in Capricorni 23. gra. Pars fortunæ in Piscium 9.gra. Significabatur fortuna istius nati, à dominis triplicitatis Lunæ, Quia fuit natiuitas nocturna. Cuius dominus primus Iupiter, secundus Sol, ambo cadentes ab angulis in signo sextæ, qui insinuabant significationem laboris nati, ac paucitatis bonorum. Deinde aspexi partem fortunæ, & inueni eam in signo nono, & domino suo eam non respiciente, quæ etiam laborem & egestatem significabant.

Natiuitas nocturna ascendente Tauri, uicesimo primo.

Luna in Piscium primo gradu, Sol in Virginis 17.gra. Saturnus in Sagittarij 14. gra. Iupiter in Libræ 17. gra. Mars in Virginis 21. gra. Venus in Leonis 17. gra. Mercurius in Libræ. 5. Pars fortunæ in Sagittarij septimo. Caput draconis in Capricor. 8. gradu. Significatur fortuna istius nati à dominis triplicitatis Lunę, quia natiuitas fuit nocturna, cuius dominus primus Mars erat sub radijs Solis in quadrato aspectu Saturni, qui significauit laborem & anxietatem nati in prima tertia uitæ eius. Secundus autem dominus triplicitatis erat Venus, & ipsa domina ascendentis in angulo, Orientalis, & augmentata numero, significans prosperitatem & bonum esse nati post laborem. Decernunt etiam Iupiter & Mercurius, qui sunt in signo sextæ descendentes è sexta ad quintam, apertę fortunę prosperitatem, & bonum statum nati. Atq; ita accidit nato.

Natiuitas nocturna ascendente Libræ, secundo gradu, 30. minut.

Ascendens Libræ 2. gra. 30. minut. Luna in Cancri 8. gra. 4. minut. Saturnus in geminorum secundo gradu. Iupiter in Sagittarij 15. gradu. Sol in Aquarij 10. Mars in Sagittarij 15. gra. Venus in Pisciũ 25. gra. Mercurius in Aquarij 15. Pars fortunæ in Tauri 10. Hæc figura significat fortunam istius nati à dominis triplicitatis Lunæ. Fuit enim natiuitas nocturna, cuius dominus primus erat Mars, secundus Venus ambo

cadentes in ſexta & tertiâ, qui ſignificabant malum eſſe nati. Sed Luna quæ erat luminare, temporis erat in medio cœli, ipſa quoq; domina triplicitatis poſtrema, & pars fortunæ de natura Veneris, ſignificabant pulchritudinem, & bonum eſſe nati in fine uitæ ſuæ. Quandocunq; enim ceciderint domini triplicitatis luminaris, cuius fuerit dominium, aſpice partem fortunæ, quia ipſa ſignificat res maximas & excelſas, quando coniuncta fuerit Ioui, uel Veneri, uel eorundem applicans radijs.

Natiuitas diurna, aſcendente Cancri 10. gradu. 7. minu.

Sol in Arietis 24. Luna in Libræ 17. Saturnus in Libræ 27. Iupiter in Sagitterij 17. Mars in Sagittario, pars fortunæ in Sagittarij 18. Caput in Scorpionis 17. Significabatur fortuna iſtius nati à dominis triplicitatis Solis (Erat enim natiuitas diurna) Et erat Sol dominus triplicitatis primus in exaltatione ſua, in medio cœli, applicans Saturno, nec receptus ab eo, & Iupiter dominus ſecundus, & dominus medij cœli fuêre cadentes in ſigno ſextæ. Saturnus autem dominus tertius, in exaltatione ſua, ſignificabat nato proſperitatem in fine uitæ ſuæ. Aſpexi porrò iterum partem fortunæ, & inueni eam in ſigno ſextæ iunctam Ioui, & Lunam in medio cœli à parte fortunæ, Qui ſignificauere fortunam à medio uitæ, uſq; ad finem eius.

Atq;

Atq; hactenus Exempla, Nunc ad Regulas ipſas recurremus.

Quando dominus triplicitatis eius luminaris, quod habet dignitatem, fuerit impeditus, aſpice partem fortunæ, quæ ſi fuerit in angulis, & fortunæ ac mali pariter eam aſpexerint, ſignificat mediocritatem fortunæ ac proſperitatis. Item aſpice dominos triplicitatis Solis, in diurnis natiuitatibus, & dominos triplicitatis Lunæ in nocte, qui ſi fuerint in angulis, ſignificāt magnitudinem ac fortunam excellentem. Sin fuerint in ſuccedentibus, ſignificant mediocritatem fortunæ. Quòd ſi fuerint cadentes, ſignificant laborem, & malum eſſe. Quòd ſi fuerit aliquis malorum in undecimo ſigno ab aſcendente, aut cum parte fortunæ, uel Sole in natiuitatibus diurnis, aut cum Luna in natiuitatibus nocturnis, ſignificat caſum fortunæ, & maximè, ſi non habuerit dignitatem in ſigno. Et ſi pars fortunæ, uel dominus eius non aſpexerint aſcendens, uel Solem in natiuitatibus diurnis, & Lunam in natiuitatibus nocturnis, ſignificat caſum fortunæ, & maximè ſi non habuerit dignitatem in ſigno. Verum Luna in natiuitatibus nocturnis, ſignificat caſum fortunæ hoc modo, ſi Luna fuerit ſeparata à malis, & iterum applicata fuerit malis, ſignificat caſum fortunæ, & ſi fuerit Alcochodeum in malo loco, & aſpexerint ipſum mali, ſignificat caſum fortunæ. Præterea ſi fuerint mali in angulis, & fortunæ in ſuccedentibus ab angulis, ſignificant laborem in initio uitæ, & fortunam in fine eius.

 Et

Et ſi fuerit Sol in natiuitatibus dierum,& Luna in natiuitatibus noctium, ſeparatus à malis, & applicuerit bonis,ſignificat bonitatem eſſe nati, & exaltationem eius poſt laborem. Et ſi domini triplicitatis Lunaris(ſi modo ea dignitatem habuerit)fuerint cadentes, applicati Planetis in exaltationibus ſuis domibusúe exiſtentibus,ſignificant fortunã nati poſt laborem. Et quando Luminaria fuerint impedita,abſq; aſpectu fortunarum,ſignificant bonitatem eſſe nati poſt laborem.

CAPVT VIII.

De tempore fortunæ nati.

SCito quòd ſi Planeta,qui ſignificat fortunã, fuerit orientalis ſuper terram,ſignificat fortunam in initio uitæ, & ſi fuerit occidentalis ſub terra,ſignificat fortunam in fine uitæ. Porrò conſiderabis etiã applicationem locorum,quia ſignum aſcendens, & ſecundnm ſignificat initium uitæ,& adoleſcentiam, Decima uero ac undecima,ſignificant iuuentutem,ſeptima & octaua ſenectutẽ,Quarta & quinta decrepitam,ætatem,& finem uitæ. Item pars fortunæ,ſignificat initium uitæ, & dominus domus eius finem,& ille qui fœliciori loco & conditione fuerit,ſignificabit bonitatem eſſe nati in tempore ſuo. Amplius etiam explorabis tempus proſperitatis, uel infortunij nati,uel mediocritatis,uidelicet, ex directione

ne Planetarum, qui ſignificabunt hoc per diſtantiam, quæ fuerit inter eos & fortunas,ac malos in ſignis,gradibus & minutis. Diriges autem partem fortunæ ad corpora tam fœlicium cũ maleficarum ſtellarum,& ad radios earundem. Quia cum coniuncta fuerit, uel applicata Ioui uel Veneri,ſignificat fortunam in eo tempore,& quando coniũcta fuerit,aut applicuerit Saturno,uel Marti,ſignificat amiſsionem pecuniæ nati, & depopulationem domus eius.

CAPVT IX.

De ſcientia cauſarum proſperitatis nati.

ASpice cauſam proſperitatis & ſubſtantiæ apertæ fortunæ, quæ ſi fuerit in exaltatione Solis, erit fortunatus ex conuerſatione regum ac principum. Et ſi fuerit in exaltatione Iouis,erit fortuna eius ex cõiunctione nobilium & magnorum hominum ac religioſorum. Sed ſi fuerit in exaltatione Martis,erit fortuna eius ex coniunctione Ducum,& uirorum bellicoſorum: Sin fuerit in exaltatione Veneris,ueniet fortuna eius ex amicitia mulierum,& hominum effœminatorum.

Quòd ſi fuerit in exaltatione Mercurij, erit fortuna eius à uiris doctis,ſcribis, & ſapientibus hominibus. Si uero fuerit in exaltatione Lunæ, erit fortuna eius ex conuerſatione ſeruorum, uulgi, & teſtium legalium

galium. Denique si fuerit in exaltatione Saturni, uenit fortuna nato ex coniunctione seruorum & ancillarum agricolarum, & senum. Simili prorsus pacto iudicabis de termino & domo, ubi fuerit pars fortunæ, & maximè si aspexerit eam dominus eius.

Pars fortunæ quando fuerit in angulis, significat magnitudinem fortunæ, & quando fuerit in succedentibus angulorum, significat mediocritatem fortunę, & cadentibus uerò laborem & difficultatem, in acquirenda re. Porrò scienda etiam sunt locus Lunæ in circulo, & constitutio eius cum Planetis, Significationē namque fortem habet cum Planeta, cui commixta est.

Quando fuerit in domo Veneris, coniuncta uel applicans ei, significat quòd natus diliget gaudium, ludum, delectationem. Et si fuerit in domo Iouis, eo uel respiciente ad eam, uel præsente, significat quòd natus erit magni animi, & habebit amicitiam cum regibus, & erit religiosus ac fortunatus, clarus ac laudatus apud omnes. Et si fuerit in domo Martis, iuncta uel applicans ei, significat quòd natus erit audax, & amator rixæ ac belli, eritque homo laborum, peregrinationumque patientissimus, & admiscebit se hominibus bellicosis, & erit fortunatus cum eis. Et si fuerit in domo Mercurij commixta eidem, uel corpore uel radijs, significat quòd natus erit callidus, ingeniosus, sapiens, peritus in iure hæreditatum ac contentionibus, & consequetur fortunam, & bonum ex eis. Si uero fuerit in domo Saturni, coniuncta uel applicans ei, erit natus frigidæ

frigidæ complexionis, tristis, multum laboris atque anxietatis habens, in parandis uictu, opibusque, nisi Saturnus fuerit Orientalis, Tunc enim affluent ei hereditates, opes, noua ædificia multa.

Quòd si fuerit in domo Solis coniuncta ei, significat malignitatem substantiæ nati, & breuitatem uitæ eius, infirmitatumque multitudinem. Cum uerò applicuerit Soli, ex trigono uel sextili aspectu, significat quòd natus consequetur bonum ex altis hominibus, uel erit ex eorum numero, & fortunatus. Et quod de domino domus dixi, idem dico de domino exaltationis ac termini.

CAPVT X.

De esse nati, ac de significatis primæ domus.

Spice dominos triplicitatis Ascendentis, quia dominus triplicitatis huius primus, significat initium uitæ, secundus medium, tertius finem. Quòd si unus ex eis fuerit in domo uel exaltatione sua, in angulis uel succedentibus angulorum, applicans fortunis ac liber à malis, significat bonum esse nati in suo tempore uitæ. Et si aliquis ex eis fuerit in malo loco, combustus, retrogradus, uel in descensione, uel applicans malis, significat malum esse nati in suo tempore uitæ eius. Et fac testificari domino triplicitatis primo dominum ascendentis, & secundo dominum medij cœli, & tertio dominum septimi loci. Quòd si ambo fuerint bene cōstituti

ſtituti,erit maior ſignificatio ſuper bonum, & ſi ambo impediti fuerint,erit maior ſignificatio ſuper malum.

Porrò aſpice etiam applicationem Lunæ in hora natiuitatis cum Planetis,ad cognoſcendum eſſe nati,& ſi fuerit ſeparata à Planetis,diuiditur eſſe nati duobus modis,quorum unus erit per ſignum Lunę,& per locum eius in domibus circuli. Secūdus uero per dñm domus Lunæ,& locū eius dñi Lunæ à Sole,& fortitudinem ac debilitatē ipſius,& applicationem ipſius cum Planetis,ac econtra etiam Planetarū cum ipſo. Aſpice porrò dñm aſcendentis,& locum eius in domibus circuli. Quia ſi fuerit in aſcendente,ſignificat honorē nati inter propinquos,et domeſticos ac notos ſuos. Si in ſecundo ab aſcendente, erit deſtructor ſubſtantiæ ſuæ. Verū ſi fuerit receptus ibi proficiet & lucrabitur. In tertio uerò cœli loco ab Horoſcopo, ſignificat ♀ habebit aptos fratres,& multum peregrinabitur. In quarto, ♀ erit boni animi,& conſequetur maxima bona ex parētibus. In quinto,♀ gaudebit cum filijs,& habebit plurimos amicos. In ſexto, quòd exercebitur maximis plurimisq; laboribus ac infirmitatibus. In ſeptimo, quòd erit contentioſus,iracundus, ſequens mulierum uoluntatem. In octauo,quòd erit fraudulentus,multæ triſtitiæ,debilis animi. In nono,quòd multum peregrinabitur,& erit amator ſcientiarum. In decimo, quòd erit ſemper cum regibus,& ex eis uiuet. In undecimo, quòd erit bonis moribus præditus,& habebit multos amicos,raros filios. In duodecimo,quòd erit malæ uitæ,multos habebit inimicos.

CAPVT XI.

De ſcientia ſubſtantiæ nati,& cauſarum eius, deq; ſignificatis ſecundæ domus.

Aspice ſecundam domum ab aſcendente, quòd ſi fuerint in ea fortunæ uel aſpexerint,& mali non fuerint in ea, nec aſpexerint,& dominus eius in bono loco, in circulo & à Sole,ſignificabunt fortunam,& ſucceſſus nati in parandis facultatibus. Verùm ſi conuerſa ratione iſthæc ſeſe habuerint, portendunt detrimentum nato in rebus ſubſtantiæ. Deinde aſpice etiam dominū ſecundi ſigni,qui ſi applicabit domino aſcendentis,ſignificabit acquiſitionem pecuniæ multæ ſine labore. Si uerò econtra dominus aſcendentis applicuerit domino ſecundi loci,ſignificat quidem facultatum augmentationem,ſed cum labore.

Poſtea conſidera,utrum fiat hęc applicatio ex angulis,quod ſi contigerit,ſignificat multitudinem diuitiarum,ex rebus iam notis. Si uerò fuerit applicatio ex ſuccedentibus angulorum, nonnihil quidem de ſupradicta fœlicitate,& facilitate fortunæ decedet: Nihilominus tamen natus erit bono animo. Cœterum ſi applicatio fuerit ex malis locis,& non aſpicientibus aſcendens,ſignificat acquiſitionem nati commixtam, & indifferentem,hoc eſt, non curabit utrum ex bono uel malo acquirat,cum auaritia & adulatione.

Si autem nulla inter dominum aſcendentis,& ſecundi ſigni,applicatio interceſſerit, aſpice tantum dominum ſecundi,qui ſi fuerit in angulis liber à malis, ac luna ſimiliter,abundabit natus mediocriter in uictu. Sed ſi fuerit cadens,accident ei difficultates in acquiſitione rerum neceſſariarum, & maximè ſi fuerit etiam impeditus à malis.

Deinceps conſidera etiam dominum aſcendentis,& Iouem,quòd ſi alter alteri applicuerit, ſignificat proſperitatem, & multitudinem ſubſtantiæ, maxime uero ſi accedat ad applicationem etiam receptio. Similiter etiam ſi pars fortunæ ac dominus eius fuerint in bono loco,in circulo liberi à malis,& aſpicientes aſcendens,ſignificant diuitias,& multitudinem bonorum.

Similiter ſi fuerit Luna recepta, aſpiciens aſcendens,ſignificat diuitias nati,& bonum ſtatum, maximè uerò ſi receptrix ſtella fortuna fuerit. Eadem cum fuerit in angulis,uel in eorum ſuccedentibus augmentata lumine & numero,et coniunxerint diſpoſitionem ac uirtutem ſuam planetæ,qui eam recipiunt,ſignificat affluentiam bonorum nati,& multitudinem, ac magnitudinem fortunæ eius,& ſucceſſum rerum indeſinenter ſuper eum uenientium.

Conſidera etiam dominos triplicitatis ſecundę domus,quia & ipſi habent ſignificationem de fortuna nati in rebus ſubſtantiæ,ſecundum naturam, & fortitudinem ſuam, Quòd ſi primus ipſorum fuerit liber à malis,habebit bonum in initio uitæ ſuæ. Et ſi ſecundus fuerit fortis,conſequetur illud in medio uitæ ſuæ. Et ſi tertius ſimiliter fuerit fortis,eueniẽt ei bona in fine uitæ. Si porrò aliqua etiam fortunarum fuerit in ſigno undecimo à parte fortunæ, ſignificat acquiſitionem pecuniæ,& facultatum ex bonis rebus. Verùm ſi aliquis malorum fuerit in undecimo ſigno à parte fortunæ, ſignificat nati fraudulentiam in acquiſitione pecuniæ, & iniuſtitiam, & maximè ſi fuerit in domo,uel exaltatione ſua. Et quando dominus domus ſubſtantiæ,& dominus partis fortunæ incurrerint cõbuſtionem, ſignificat malum nati ſtatum,& diminutionem bonorum eius. Quando fuerit pars fortunæ coniuncta fortunis,uel fuerit in quadrato,uel oppoſito ipſarum aſpectu,& ceciderint ab ea mali, ſignificat nato multitudinem boni,& fortunæ eius. Et quando fuerit coniuncta malis,aut fuerit in quadrato, uel oppoſito aſpectu eorum, & non aſpexerint eam fortunæ,ſignificat malum eſſe nati, & paucitatẽ boni eius. Quando dominus aſcendentis, ac ſecundi ſigni non applicuerint alter alteri,& ceciderint fortunæ ab aſcendente & ſecundo,ſignificãt laborem nati,& malum eſſe eius omnibus diebus uitæ ſuæ. Et adhuc ſuper pluribus teſtimonijs quærens, quæ ſubſtantiam ſignificant,conſidera applicationem domini aſcendentis,uel domini ſecundi loci, ac dominos triplicitatis luminaris illius,quod temporis dominum obtinebit, ac partis fortunæ,partisq; ſubſtantiæ & Iouis, quia ſi inueneris Planetam, qui plures habuerit dignitates ex iſtis, unum

unum uidelicet, aut duos uel tres liberos à malis, & in bono loco in circulo & à Sole, significat bonum esse nati in substantia & fortuna, secundum locum & motum eorum. Sed si maior ex eis pars fuerit cadens aut impedita, significant malũ nati successum in substantia secundum malignitatem, & locum eorum in circulo.

Porrò etiam loca significatoris substantiæ, seu domini secundę consideranda sunt, Si enim dominus secundi signi fuerit in ascendente, significat quòd natus erit acquisitor pecunię sine labore, & solicitudine, & si fuerit ibi receptus, erit summa boni fœliciras, & maximè cum fuerit receptus à Stella benefica, & fœlici in angulo existente. In secundo si fuerit, erit acquisitio, & uictus eius ex re nota, nec cõgregabit pecunias. In tertio quidem si fuerit malum esse fratrum, & laborem eorum portendit. In quarto uerò bonum statum parentum, & durabilitatẽ nati, in ea domo, in qua natus est, notat, & bonitatem esse eius. In quinto habebit filios, palatio Regis cognitos, & habebunt bona multa. In sexto si fuerit, fugam seruorum, & amissionem animalium innuit, & erit largus. In septimo uerò cumulationem rerum ex iniusto, & dispersionem earundem in mulieribus, & contractibus portendit. Et si in octaua fuerit dominus signi secundi, significat quòd natus acquiret substantiam ex hæreditatibus, & occasione mortuorum, & erit largus, nec curabit quomodo expendat, uel lucretur. Et si fuerit in nono cœli loco, significat quòd erit acquisitor substantiæ ex itineribus

neribus, & ex occasione religionis, & non curabit, nisi de rebus absentibus, & erit negociatio eius ex peregrinatione & peregrinantibus. Et si fuerit in decimo, cõsequetur substantiam à Rege, & ex causis eius, atq; inde uiuet. Si in undecimo, inueniet substantiam ab amicis & negociatoribus, & accommodatoribus, uel ex mercibus. Tandem si fuerit in duodecima, lucrabitur facultates, & pecunias ex carceribus & inimicis, atq; ex omni uili opere & pudendo, eritq; fur & raptor.

CAPVT XII.

De fortuna fratrum.

ASpice signum tertium ab ascendente, & dominum eius, & qui Planetæ fuerint ibi, ex fortunis, uel malis, aut qui aspexerint id quadrato uel opposito aspectu. Quia si fuerint ibi fortunæ, aut aspexerint bonam fortunã fratrum significat, ac multitudinem prosperitatis eorum. Et si fuerint ibi mali aut aspexerint eum locum quadrato, uel opposito aspectu, significat malum statum fratrum, & paucitatem boni eorum. Quòd si fuerit tertium ab ascendente signum ex signis plures filios significantibus, & dominus eius in similitudine huius fuerit, significat plures fratres. Et si fuerit ex signis paucos filios significantibus, & dominus eius in similitudine eius fuerit, significat paucos fratres. Sed signa multos filios significan-

tia, ſunt Cancer, Scorpio, Piſces, & paucos filios ſignificantia, Leo, Virgo, Capricornus, & Aquarius. Cætera uero ſigna, ſunt mediocria in paucitate, & multitudine filiorum. Et quando ſignum fratrum fuerit commune, & dominus eius in ſigno communi, ſignificat quod ipſe habet fratres de patre tantum, aut de matre. Et ſi dominus ſigni fratrum incurrerit combuſtionem, ſignificat paucitatem fratrum. Separatio Lunæ à Saturno exiſtente in angulis, in natiuitate nocturna, aut à Marte in natiuitate diurna, ſignificat interitū fratrum priorum.

Quendo aſcendens nati fuerit ex ſignis multos filios ſignificantibus, & Luna in eadem ſimilitudine, ſignificat multitudinem fratrum & ſororum, ex matre prouenientium tantum. Et quando aſcendens nati tertius gradus Scorpionis fuerit, ſignificat quòd natus non habebit fratres nec ſorores, ex matre ſua. Porrò aſpice etiam Martem, & eius domum in cauſa fratrum. Qui ſi fuerit in ſigno multorum filiorum, & dominus ipſius orientalis, ſignificat multitudinem fratrum, & maximè ſi aſcendens fuerit Leo aut Sagittarius, & Luna in ijſdem.

Quando Mars intrauerit combuſtionem, ſignificat paucitatem fratrum, & mortem priorum. Et ſi fuerit in tertio ſigno Planeta peregrinus aut malus, ſignificat fratrum paucitatem. Quòd ſi Mars, & dominus triplicitatis eius fuerit in loco apto, in circulo & à Sole, ſignificat fratrum conuenientiam & fortitudinem

nem ac multitudinem boni. Et ſi fuerit in deſcenſione ſua, uel in detrimento ſuo, ſeu intrans combuſtionem, & domini triplicitatis eius in locis malis, ſignificat paucitatem fratrum, & debilitatem malumq; ſtatum eorum. Si præterea etiam domini triplicitatis aſcendentis fuerint cadentes, ſignificatur paucitas fratrum. Et ſi fuerint in ſignis mediocribus, ſignificant mediocritatē eorum. Aſpice quoq; partem fratrum, & dominum eius, ſicut conſideraſti ſignum tertium & dominum eius. Quia ſi teſtimonia ipſorum fuerint æqualia, erit opus fortius, et iudicium certius. Sin fuerint diuerſa, erūt teſtimonia ſigni tertij, ac domini eius fortiora.

CAPVT XIII.

De numero fratrum.

Onſidera dominos triplicitatis aſcēdentis, qui ſi fuerint in aſcendente, erit natus primogenitus matris ſuæ. Et ſi fuerint in medio cœli, primus erit aut decimus. Si in angulo tertiæ, erit primus uel quartus. Si in ſeptima, erit primus uel ſeptimus. Et ſi non fuerint in angulis ſuper terram tamen exiſtentes, numera ab eis, uſq; ad aſcendens. Quòd ſi fuerint inter ipſos infortunæ, ſignificant numerum fratrum priorum. Et aſpice à gradu medij cœli, ad gradum aſcendentis, Si enim inter eos, fuerint fortunæ, ſignificant natū habere fratres uiuos.

Sin fuerint maleficæ inter angulos priores, significant eum habuisse fratres, uerùm iam extinctos. Si uero fortunæ ibi fuerint, non maleficæ stellę, significāt quòd is primogenitus matris suæ est.

Postea aspice eodem modo Planetas, qui fuerint inter ascendens, & angulum terræ, qui si fuerint benefici, pariet mater iterum post eum filios. Sin malefici quidam uiuent, plures uero ex eis erunt abortiui.

Et si non fuerint inter eos fortunæ, non pariet mater nati post eum filios qui uiuant, & si fuerint mali, pariet filios qui morientur, uel in abortu peribunt. Porrò si neq; fortuna neq; mali ibi fuerint, non pariet post eum. Deinceps aspice dominum domus fratrum, qui si fuerit in Ascendente, uel in septimo loco, est impar, id est, sine fratre. Et si fuerit in medio cœli, habet fratres maiores se, si fuerit in angulo terræ, habet fratrem minorem se, & fratres ante se masculinos.

Et si fuerit dominus domus fratrum iunctus malis, uel in aspectu eorum, significat mortem & destructionem eorum inter sese. Et si fuerit iunctus fortunis uel in aspectu eorum, significat durabilitatem & cōcordiam fratrum, & gaudium eorum.

Obseruabis autem quòd Sol & Saturnus significant fratres maiores, Iupiter uerò & Mars fratres mediocres, Mercurius fratres minores, Luna sorores maiores, Venus sorores minores. Quapropter si impediti fuerint Sol & Saturnus, significant interitum fratrum maiorum. Si Iupiter & Mars, fratrum mediocrium

erium, si Mercurius, minorum, Si Luna, sororum maiorum, si Venus, minorum. Separatio Lunæ à Sole uel Saturno, significat quòd natus habet fratrem maiorē, à Ioue uel à Marte, significat quòd ipse non est maior fratribus suis, Et à Venere, quòd natus habet sororem maiorem se, à Mercurio & Venere, nō habet fratrem maiorem se. Et quando fuerit Luna uacua cursu, significat infœlicem statum fratrum nati propriorum. Et quando fuerit separata à fortunis, significat fęlicitatem fratrum priorum & uitæ eorum. Et si fuerit separata à malis, significat celeritatem mortis fratribus germanis nati, & perniciem rebus eorum.

CAPVT XIIII.

De existimatione & nobilitate fratrum.

Cito quòd dominus triplicitatis domus fratrum primus significat fratres maiores, Secundus mediocres, tertius minores, Quorum unus si fuerit in domo sua, uel exaltatione sua, liber à malis, loco idoneo in circulo & à Sole, significat exaltationem eorum fratrum, quorum significator ipse fuerit. Et applicatio domini tertiæ domus ad Planetam in exaltatione, uel in domo sua existentem, significat prosperitatem fratrum & coniunctionem ipsorum cum nobilibus & principibus. Applicatio uero eius cum Planeta cadente, uel in descen-

♄ maiores
☿ mediocres
♃ minores

ſione ſua coniuncto, ſignificat uilitatem fratrum, & eorum conſuetudinem cum uilibus hominibus.

Separatio Lunæ à Planeta in domo ſua, aut in exaltatione poſito, ſignificat ſublimitatem maiorum fratrum, ac magnitudinem famæ eorum, & applicatio eius cum Planeta in domo ſua, ſignificat exaltationem nati, & claritatem nominis eius, & exaltationem eius, qui poſt ipſum naſcetur. Cum uerò in domo fratrum caput draconis Lunæ inueneris, portendit quòd natus erit deterioris conditionis ac ſtatus, cũ omnes fratres ipſius. Et ſi cauda in domo fratrum fuerit, ſignificat fœliciorem ſtatum nati, quàm fratrum ſuorum. Et ſi dominus tertij ſigni, fuerit fortuna libera à malis, & applicans fortunis, & fuerint liberi à malis, ſignificant conuenientiam fratrum, & bonitatem ſtatus nati. Quòd ſi fuerint mali, & applicuerint ſe maleficis, ſignificant deſtructionem fratrum, & damnationem legis nati. Similiter quando fuerit in domo fratrum, uel in eius quadrato aut oppoſito aſpectu benefica ſtella, ſignificat fœlicitatem fratrum, & bonitatem legis nati. Et quando fuerit in his locis infortuna, ſignificat damnationem conditionis fratrum, & legis nati. Cum autem uolueris ſcire, utrum natus ſit maioris precij, an uero fratres, aſpice dominos triplicitatis aſcendentis, ac dominos triplicitatis domus fratrum eius, quicunq; enim prædictorum locorum domini fuerint in meliori aut digniori loco, ille erit maioris precij. Memineris autem dominum triplicitatis primum

primum ſignificare fratres maiores, ſecundum medios, tertium minores. Similiter Sol & Saturnus ſignificant fratres maiores. Iupiter & Mars mediocres, Mercurius uerò minores, Luna & Venus ſorores, illa quidẽ maiores, hæc uero minores, quicunq; igitur iſtorũ Planetarum aut dominorum triplicitatis tertij loci fortior ac fœlicior fuerit, ac digniori loco, erunt ij maioris precij inter fratres, quorum ſignificator ipſe fuerit.

CAPVT XV.

De amicitia, aut odio fratrum inter ſeſe.

Aspice in hoc dominũ aſcendentis, & dominum ſigni tertij, qui ſi mutuo ſe aſpexerint, trino uel ſextili aſpectu, ſignificãt amicitiam fratrum, ſi uerò ex quadrato, erunt mediocres in amicitia. Et ſi ex oppoſitione magnitudinem inimicitiæ, & multitudinem odij fratrum produnt, ſi autem coniuncti fuerint, ſignificant ſtabilitatem amicitiæ fratrum. Porrò reſpicies etiam ad partem fratrum, & ad locum eius in circulo, Et ſi dominus domus eius, aſpicit eam trigonico, uel ſextili aſpectu, ſignificat firmam amicitiam: Si ex quadrato aſpectu, eam conſpexerit, ſignificat mediocritatem amicitiæ. Si uero ab oppoſitione, magnitudinem inimicitiæ & odij ſignificat. Scito autem quando fuerit pars fratrum, cum domino partis fortunæ, mu-

tuis inter se odijs certabunt fratres, nec nõ alternis frau dibus dolisq;. Mercurius & Mars, significant fratres, cum igitur isti inter se bene ac conuenienter positi fuerint, facilius etiam cõueniet in rebus fratrum, cum autem inter eos nulla fuerit applicatio, res fratrum diuidẽ tur ac dissipabuntur. Venus autem & Luna, significãt sorores, quæ si fuerint conuenientes, & sibi applicãtes mutuò, res sororum bene habebunt. Si uerò applicatæ inter se non fuerint, res ipsarum destruentur.

CAPVT XVI.

De fortuna parentum, ac de significatis quartæ domus.

PRo fortuna patrum considera in diurna natiuitate locum Solis, in nocturna Saturni. Tam in nocturna quàm in diurna uerò genesi, aspicies partem patrum, & dominum eius, & pro ambobus parentibus signum quartum ab ascendente, cum suo domino. Porrò in re matris iudicium facies in die à Venere, In nocte, à Luna, in die ac nocte pariter, à parte matris & domino eius. Quòd si inueneris significatores patris & matris, aut plures ex illis, in multitudine testimoniorum ac dignitatum in angulis, uel succedentibus angulorum, & fortunæ fuerint in domo patrum, & domini triplicitatis eius luminaris, quod obtinet dominium temporis, in locis circuli fortibus, fœliciter positi fuerint, significant prospe-

prosperitatem parentum, & bonum statum, ac multitudinem gaudij eorum. Si uerò fuerint impediti, & in malis locis, significant infœlicem parentum conditionem, & diuturnam infirmitatem ipsorum. Quòd si in natiuitate diẽi fuerit Sol in loco apto, & domini triplicitatis eius in malis locis, significant prosperum statum patris tempore natiuitatis, infœlicem uerò in futuro. Si idem luminare fuerit in malo loco, & domini triplicitatis eius in bonis, significat malam conditionem parentum tempore natæ prolis, Sed in futuro bonum de signat. In genere autem Sol in natiuitatibus diurnis cũ parte patris habet significationem de conditione patris hora natiuitatis, & Saturnus ac pars patris, significant fortunam patris, in natiuitatibus nocturnis. Dirige ergo gradum Solis, & partem patris in natiuitatibus diurnis, & gradum Saturni, & partem patris in natiuitatibus nocturnis, ad corpus fortunarum, ac maleficarum, & ad radios earundem. Si enim prędicti significatores coniunguntur cum fortunis, uel habent Alictisal cum eis, significant exaltationem, & fœlicitatem patri, & quando fuerint per directionem coniuncti malis, uel habuerint Alictisal cum eis, significant infirmitates, & cœtera pericula, quæ contingunt patribus, maximè uerò cum coæquabuntur in gradibus, & si infortunis præualentibus fortunæ non proiecerint eò radios suos. In tali autem directione, cum pars patris & dominus eius, uel corpore uel radijs coniungentur, inueniet multas pecunias.

Et

Et quando fuerit cum Marte Mercurius, uel cum infestis eum radijs intuebitur, significat intensionem odiorum inter fratres, & infidelitatem, insidias, fraudesq; unius contra alterum. Pars item patrum in locis bonis ac fortibus ab ascendente, & à significatore patris, siue Sole, siue Saturno, prout ratio temporis quem dabit, significat patri augmentum honoris. In locis uero ab ascendente, & Saturno, aut Sole cadentibus, significat patri malum statum, seruilem paupertatem, contemptum, uilitatem. Similiter iudicabis de rebus matris, in die à Venere, & à parte Matris, & in nocte à Luna & parte matris, quemadmodum patefeci tibi in significatione patris de Sole, & cœteris significatoribus.

Aspice gradum coniunctionis aut præuentionis proximè natiuitatem præcedentis, & si aspexerint eum fortunæ, & mali fuerint ab eo cadentes, significant bonum fratrum, parentum, & exaltationem eorum, si uerò mali aspexerint eum, & fortunæ ab eo ceciderint, contrarium significatur. Quòd si aspexerint eum fortunæ, & mali pariter, significant mediocritatem eorum, et maximè si Luna fortunata fuerit. Et scito quòd signum coniunctionis, & dominus eius, significāt fortunam patris, signum autem præuētionis, & dominus eius fortunā matris. Aspice præterea quartum signum, quòd si Iupiter fuerit in eo, aut Sol, aut respexerint ipsum, significant exaltationem patris, ac magnam fœlicitatem.

Et

Et si fuerit in eo Venus, uel Luna, aut aspexerint ipsum signum, significatur exaltatio & altitudo matris ac fortuna eius. Et si fuerit aliquis in eo malorum, aut aspexerit, fortunis illud nō aspicientibus, iudica parentum nati seruitutem, casum, ac paupertatem. Et si signum illud fuerit domus, uel exaltatio Solis, significat seruitutem & casum patris, sin fuerit domus Lunæ, siue exaltatio eius, significat seruitutem matris, & uilitatem eius.

Porrò si fuerint ipsa luminaria in signis mobilibus, significant parentibus inconstantem & incertum statum, cum magna rerum uarietate. Scias etiam quòd Sol in die, & Saturnus in nocte, significat esse patrum in tempore natiuitatis, & domini domorum utriusq; significatoris, significant futuram patrum fortunam. Et quando fuerint significatores patris, qui sunt dominus domus Solis, in natiuitatibus diurnis, & dominus triplicitatis eius in suis exaltationibus, aut dominus domus Saturni, in natiuitatibus nocturnis, & domini triplicitatis eiusdem in suis exaltationibus, & in bonis locis figuræ, & pars patris, & dominus eius in nocte & in die, in domibus uel exaltationibus suis, liberi omnes ab infortunis cum aspectu fortunarum, significāt exaltationem, & altam dignitatem, ac opum affluentiam nati parentibus, & maximè si fuerint pars fortunæ, & dominus eius fortunati ambo cum parte patrum. Significant etiam tunc durabilem fortunā patris, & filius ueniet in lautam hæreditatē à parentibus

h relictam

relictam. Econtrà uero si fuerit dominus domus Solis, in natiuitate diurna, & dominus triplicitatis eius, aut dominus domus Saturni, in natiuitatibus nocturnis, & dominus triplicitatis eius in malis locis, uel in detrimento, uel in descensione sua commixti malis, significāt casum patris, & amissionem facultatum eius.

Porrò aspice iterum in ualore & precio patrum, & de successu eorum in diuitijs & dignitatibus ex ductoria Planetarum diurnorum à Sole, & Planetarum nocturnorum à Saturno. Et si quem illorum inueneris in sua ductoria, is significabit augmentum, & exaltationem, & magnitudinem honoris ac precij patrum in futuro. Simile est iudicium de fortuna matris ex ductoria Planetarum nocturnorum, & ex Luna, & si quis eorum fuerit in sua ductoria, decernet exaltationem matris & magnitudinem, & incrementum dignitatis eius in futuro. Aspice præterea in iudicando statu patrum in die Solem & dominum eius, ac dominum triplicitatis eius, aut si natiuitas nocturna fuerit, Saturnum & dominum domus eius, & dominos triplicitatis eiusdem. Si enim Sol & Luna, & domini domorum prædictarum, & domini triplicitatis fuerint in angulis, liberi à malis & detrimentis, significant gaudium & prosperitatem nati, & parentum eius: Sin uero impediti & coniuncti malis, non aspicientes ascendens, & cadentes reperti fuerint, significant tam nati quàm parentum infœlicem statum, ac interitum.

Caput

CAPVT XVII.

De spatio uitæ patris.

DIxit Ptolemæus: Aspice Solem cum natiuitas fuerit in die, qui si aspexerit Ascendens, dirige eum ad corpus & radios infortunarum per gradus ascēsionis, dando unicuiq; ascensionum gradui annum unum. Et si Sol non aspexerit ascendens, Saturno tamen eo respiciente, dirige hunc pro Sole, si uerò neque iste aspexerit ascendens, dirige eorum loco gradum anguli terræ. Porrò in natiuitatibus nocturnis incipies à Saturno, post hunc à Sole, post Solem à gradu imi cœli. Postea aspice quantum prouenerit annorum secundum gradus ascensionum. Quòd si fuerit tantum, quantum anni, quos significat Planeta, qui habet maiorem dignitatem in die in loco Solis, & in domino domus eius, & in die ac nocte pariter, in quarto loco & domino eius: in nocte uerò in Saturno & domino domus eius, & parte patrum, ac domino eius, uel si propè numerus graduum ascensionis annos Planetæ æquauerit, pater eius morietur eodem anno.

CAPVT XVIII.

De spatio uitæ matris.

DIxit idem Ptolemæus: In uita matris aſpice, cum natiuitas fuerit diurna, Venerem, quæ ſi aſpexerit aſcendens, dirige eam ad corpus & radios malorum, per gradus aſcenſionũ, & unicuiq; gradui aſcenſionum da annum unum. Si uerò hæc non aſpexerit aſcendens, Luna tamen mittẽte eò radios, dirige eam, ſicut diximus de Venere. Porrò ſi neq; Luna aſpexerit aſcendens, dirige gradũ medij cęli. Verum in natiuitatibus nocturnis incipe à Luna, poſtea à Venere, deinde à gradu medij cœli, poſtea conſidera, quot anni prouenerint ex gradibus aſcenſionum. Si enim totidem anni fuerint, quot ſignificabat Planeta, qui habet maiorẽ dignitatẽ in die in loco Veneris, In nocte uerò in loco Lunæ, & domino domus eius, In die autem & in nocte pariter in gradu medij cœli, & domino eius, & in parte matris & domino eius, uel ſi propè eum numerum annorum æquauerint gradus aſcenſionum per directionem inuenti, ſignificatur mors matris in eodem anno.

CAPVT XIX.

De inueniendo Hylech in uita parentum.

ASpice in natiuitatibus diurnis Solem, qui ſi fuerit in ſigno angulorum uel ſuccedenti, & aſpexerit eum aliquis de dominis quinq; dignitatum, Sol erit Hylech, quem diriges patri, & Planeta dominus dignitatis aſpiciens Solem, erit Alcochoden.

Quòd ſi non fuerit de Sole quod diximus, & Saturnus in angulo uel ſuccedenti angulorum fuerit, & aſpexerit eum aliquis dominorum quinq; dignitatum, Saturnus erit Hylech, quem diriges patri, & Planeta dominus dignitatis aſpiciens ipſum, erit Alcochoden. Porrò ſi neq; Saturnus modo prædicto cõſtitutus fuerit, aſpice gradum partis patrum, qui ſi fuerit in angulis uel ſuccedentibus angulorum, & aſpexerit eum aliquis dominorum quinq; dignitatum, pars patrum erit Hylech, quam diriges patri, & dominus dignitatis, Planeta uidelicet aſpiciens erit Alcochoden. Si uerò non fuerit de parte quod diximus, aſpice gradum domus patrum, quòd ſi aſpexerit eum aliquis dominorum quinq; dignitatum, ille gradus erit Hylech, dirigendus pro uita patris, & Planeta dominus dignitatis aſpiciens eſt Alcochoden. Eodem modo incipe in natiuitatibus nocturnis à Saturno, poſtea à Sole, Deinde à parte patrum, tandem à gradu domus patrum, & obſerua eundem modum, quem antea tradidimus.

Porrò in uita matrum inueſtiganda, incipies in natiuitatibus diurnis à Venere, poſtea à Luna, deinde à parte matrum, poſtea à gradu medij cœli. Et in natiuitatibus nocturnis, incipies à Luna, poſtea à Venere, deinde à parte matrum, tandem à gradu medij cœli, & quicunque eorum fuerit dignior, iuxta Regulas ſupra poſitas, erit Hylech, qui debet dirigi pro uita matris, &

dominus dignitatis aſpiciẽs, erit Alcochoden, ut ſupra. Et ſi non inueneris Hylech, dirige gradum Lunæ, ad explorandum ſtatum matris, ad fortunas, & malos, unicuiq; gradui tribuẽdo annum unum, ſcies etiam matris fortunam, à Planeta, à quo ſeparatur Luna.

CAPVT XX.

De ſtatu filiorum, & de ſignificatis quintæ domus.

ASpice in hoc domum filiorum, & dominum eius, ac Venerem & Iouem, necnon & partem filiorum & dominum eius, ac dominũ triplicitatis Iouis, Quicunq; enim fuerit dignior ex illis in ſigno multorum filiorum, liber à malis, aſpiciens Aſcendens, & maximè ſi fuerit in angulis, uel in ſuccedentibus angulorum, ſignificat multitudinem filiorum. Et ſi fuerit in ſignis paucos filios ſignificantibus impeditus à malis, & Iupiter fuerit cõbuſtus, & Venus impedita, ſignificat quòd natuſerit ſterilis, & nunquam habebit filios. Et ſi applicatus fuerit dñs aſcedentis ad dominum ſeptimę, ſignificat multitudinem filiorum non legittimorum. Et ſi applicuerit dñs ſeptimæ domino aſcendentis, ſignificat multitudinem filiorum ex ancillis. Et dic multitudinem filiorum à Ioue & Venere, & paucitatem eorum à Saturno & Marte, & mediocritatem eorum à Sole, Luna & Mercurio.

Quòd

Quod ſi fuerint domini triplicitatis Iouis, in bonis locis circuli, ſignificant multitudinem filiorum, & gaudium ex eis. Si uerò fuerit unus ex illis in loco apto, & alij in deiectis, aut malis, ſignificant, quòd natus habebit filium unum excellentem, & honoratum. Ex reliquis uerò filijs continget ei triſticia. Quòd ſi fuerint domini triplicitatis Iouis, cadentes ab angulis, uel ſub radijs Solis, paucitas filiorum indicatur.

Si præterea Iupiter & Mercurius in domo, uel exaltatione ſua fuerint in angulis, uel in ſuccedentibus angulorum, & domini triplicitatis eorum in locis conuenientibus circuli, liberi à malis & impedimentis, ſignificant filiorum multitudinem, & gaudium ex eis. Et aſpice partem filiorum, & dominum eius, & Planetam iunctum ei, uel ſtellam commixtam ei, ac iudica ſecundum menſuram locorum, et qualitatis eorum in fortitudine & debilitate, de fortuna filiorum.

Et ſcito quòd quando fuerit pars filiorum in angulis uel ſuccedentibus angulorum, ſignificat filiorum multitudinem & concordiam. Et ſi fuerit cadens ab angulis, & maximè in illis locis, quæ non aſpiciunt aſcendens, ſignificat paucitatem filiorũ, & celerem obitum. Si præterea pars filiorum non aſpexerit bonos Planetas, ſignificat interitum primogeniti filij, qui fortaſsis mortuus etiam naſcetur, habebitq; natus ſemper triſticiam ex filijs. Sed ſi fortuna in quadrato uel oppoſito aſpectu partis filiorum fuerit, ſignificat multitudinem filiorum. Si uerò malus eodem aſpectu eam intuebitur

tur,ſignificat filiorum paucitatem,& parum gaudij ab illis. Et ſi Venus fuerit impedita à Saturno, aſpice partem filiorum,quæ ſi fuerit in angulis, & nec Iouem nec Venerem aſpexerit, ſignificat paucitatem filiorum & ſterilitatem, maximè ſi Luna pariter impedita fuerit. Et Iupiter, Venus & Mercurius, ſi fuerint liberi à malis retrogradatione & cõbuſtione,erit natus plurimorum filiorum pater. Sin uerò fuerint impediti à malis,uel in detrimẽto ſuo,uel in deſcenſione ſua, aut ſub radijs Solis,nullos habebit liberos,& quamuis habuerit,morientur. Et ſi fortuna fuerit in ſigno quinto, & dominus domus filiorum, liber à malis & impedimentis,aſpiciens medium cœli,ſignificat quòd natus habebit filios multos,inter ſe optimè cõuenientes. Econtrà ſi fuerit in domo filiorum malus Planeta, & dominus domus filiorum ceciderit ab angulis, ſignificat paucitatem filiorum,& celeritatem mortis alicuius eorum, & maximè ſi fuerit cadens à quarto uel ſeptimo angulo. Et ſi luminaria fuerint impedita à malis, in omnibus natiuitatibus,nec aſpexerit ea fortuna,ſignificatur paucitas filiorum & ſubſtantiæ. Quare ſi hæc omnia recte intellexeris,ac cõſideraueris, inuenies ipſam rei ueritatem,Si Dominus uoluerit.

CAPVT XXI.

De tempore filiorum.

Aſpice

ASpice in tempore filiorum Planetam,qui dignior fuerit in ſignificationibus filiorũ, qui ſi fuerit orientalis, ſignificat filios in adoleſcentia,ſi fuerit occidentalis,in ſenio,ſi fuerit in medio cœli, uel undecimo ſigno, promittit filios in adoleſcentia, ſi fuerit in tertio, nono uel quarto loco,ſignificat filios in medietate uitæ. Item ſi fuerit pars filiorum in aſcendente,ſignificat filios in adoleſcentia. Si in medio cœli, in iuuentute filios, ſi in ſeptimo uel quarto loco pars filiorum fuerit,filios dabit ſub finem uitæ. Et quando peruenerit Iupiter,uel Venus,in reuolutione annorum,ad locum partis filiorum,aut aſpexerit eam ex quadrato uel oppoſito aſpectu, ſignificat eũ habere filios in eodem tempore. Iupiter tamen habet maiorem ſignificationem in filios,quàm Venus.

Similiter quando peruenerit profectio anni ad ſignum,in quo fuit Iupiter, uel Venus in natiuitatibus, ſignificat filios in ipſo anno. Si ſcire cupis amorem & concordiam filiorum beneuolentiamq; erga natum,aſpice ad Planetã,qui fuerit dignior in ſignificationibus filiorum,& dominũ aſcendentis, qui ſi ſe mutuò fortunabunt bono uel aſpectu,uel receptione,ſignificant cõcordiam,& fœlicitatem filiorum, Si uerò mutuis impedimentis ſeſe confecerint,ſignificant diſcordiam,& inimicitiam filiorum erga natum ac damnum.

Similiter ſi pars filiorum à ſuo domino beneuolè aſpicitur,præſertim ſi pars filiorum non eſt impedita, & dominus eius fortuna, uerum ſignum eſt ſynceri a-

moris,inter natum & liberos , & hoc magis , ſi pars filiorum,& eius dominus amicis radijs aſcendens & eius dominum aſpexerint. Si dominus primæ domus in quinta,aut dominus quintæ, uel pars filiorum in eadem fuerint,ſignificant perfectum amorem inter natum & liberos. Si autem dominum quintæ,partem filiorum,aut eius dominum in ſeptima domo inueneris, liberi erunt manifeſti inimici,& aduerſarij patris. Similiter ſi dominus quintæ domus pars filiorum, aut eius dominus in duodecimo reperiantur, liberi erunt occulti inimici eius nati. Si dominus primæ eſt in ſecunda octaua,uel duodecima domo, natus odio habebit libe ros ſuos,& auerſabitur. Hoc etiam facit pars uitæ,& eius dominus in his tribus locis poſitus,niſi contrarium operetur fortius teſtimonium dominorũ utriuſq; domus,primæ & quintæ.

CAPVT XXI.

De ſeruis & ſubditis nati,deq; ſignificationibus ſextæ domus.

ASpice in ſtatu ſeruorum,ſubditorum & captiuorum ſextum ſignum, & dominũ eius, ac locum ipſius in circulo,ac ſi qua preterea uel beneficarum uel maleficarum fuerit in ſexto loco,& partem captiuorum, nec non locum Mercurij. Quia per ipſum ſcitur,ſignificatio ſuper ſeruos

uos, ſubditos & captiuos, & melior conditio eius eſt, ut ſit orientalis in aſcendente,uel in medio cœli applicans Ioui,in ſigno communi,uel mobili. Cum aliqua fortunarum fuerit in ſigno ſexto,uel duodecimo, aut dominus ſexti fuerit fortuna,libera à malis,& coniuncta Mercurio , aut Mercurius iunctus fuerit fortunis, uel eis applicuerit à malis liber, uel dominus eius fuerit in loco conuenienti, & aſpexerint eum fortunæ ceciderintq; ab eo infortunæ, ſignificant multitudinem ſeruorum ac commodum, & gaudium ex eis proueniens.

Verum deterrimum eſſe Mercurij eſt,ſi ſit retrogradus,aut ſub radijs Solis, aut coniunctus malis, uel applicans eis in ſigno fixo. Quòd ſi fuerit aliquis malorum in ſigno ſexto uel duodecimo, aut dominus ſexti malus Planeta fuerit, aut Planeta impeditus à Sole in malo loco circuli, uel ſi Mercurius fuerit impeditus à malis uel cadens, fœlicibus ſtellis eum non aſpicientibus,uel ſi pars ipſa ſeruorum fuerit impedita à malis, & cadens ſine aſpectu fortunarum, aut ſi cauda draconis Lunæ in ſigno ſexto inuenta fuerit, ſignificant paucitatem ſeruorum, impedimentum & triſticiam ex eis prouenientem. Porrò aſpice etiam in ſtatu captiuorum & ſeruorum digniorem ſtellam loci domini ſexti,& partis captiuorum & dominum eius, ac Mercurium,ac ſtellam,quæ fuerit in domo ſexta,ſiue unam ſiue plures, & eius habitudinem ſeu conuenientiam, cum domino aſcendentis, & an fortunet, an uerò in-

 fortunet

fortunet ipsum. Et iudica, sicut uidebis de eorum conuenientia uel disconuenientia, uel de eorum commodo uel damno, & considera multitudinem, expende diligenter conuenientiam, discordiam, commodum, & impedimentum nati cum seruis. Vide etiam Planetam qui plura habuerit dignitatum suffragia in sexto loco, & dominum sexti, & partem seruorum, & dominum eius, & Planetam, qui fuerit in sexto, ac Mercurium & dominum ascendentis, quorum si alter alterum fortunabit, significabitur concordia & profectus eorum. Sed si impedierint alter alterum, significabitur discordia & impedimentum eorundem, & aspice porrò multitudinem testimoniorum, donec rei certitudo tibi pateat.

CAPVT XXIII.

De fortuna nati in bestijs & pecoribus.

Spice in re bestiarum & pecorum signum duodecimum, & dominum eius ac Martem, & locum eius in circulo, & statum ipsius in semetipso, hoc est, si fuerit Orientalis uel occidentalis, uel retrogradus uel directus, Et scito, quòd melius esse in causa bestiarum est, ut sit Mars orientalis in signo quadrupede, & maxime in signo regio in ascendente uel medio cœli, aut in duodecimo. Quòd si inueneris eum ita, & Iupiter

piter ac Sol aspexerint eum benigno aspectu, significat quòd natus habiturus est multitudinem bestiarum ac pecorũ, maxime si fuerit Mars in loco uel signo, ubi aliquam habuerit dignitatem, & quando Mars cum parte fortunæ fuerit, significat quòd natus amabit equos, arma, uenationes, maxime si fuerit Luna cum eo, & Mars dominus fuerit Ascendentis, uel dominus cõiunctionis aut oppositionis luminarium, quæ fuerit ante natiuitatem. Cum uero signum duodecimum fuerit ex quadrupedibus, & dominus eius in signo quadrupede coniunctus fortunis, aut in aspectu earum, significat quòd natus habebit commodum ex bestijs & pecoribus, ac multiplicabuntur coram eo. Si uero duodecimum fuerit signum fixum, & Saturnus fuerit in eo, aut in quadrato aspectu, oppositoue, significat quòd eueniet nato tristicia & impedimentum. Et hoc futurum est per bestias & pecora, si habuerit Iupiter & Mars præcipuam dignitatem in eodem signo. Et scito quòd si Mars fuerit orientalis in Ariete, Leone, aut Sagittario, & ipse fuerit dominus sexti uel undecimi signi, promittit nato multitudinem bestiarum, uidelicet, equorum, camelorum, & animalium magnorum, magniq; precij, maxime si aspexerit eum Iupiter. Et si fuerit in Tauro, uel in Virgine aut Capricorno, significat multitudinem iumentorum nati, sicut est pecorum ac uaccarum, & similium. Similiter cætera signa, cum fuerit Mars in eis orientalis, coniunctus fortunis, aut in aspectu ipsarum, significat utilitatem

ex animalibus ſecundum naturam ſigni, in quo Mars extiterit. Et ſi Sagittarius uel aliquod ſignorum beſtijs conueniens fuerit aſcendens, & dominus aſcendentis fuerit cum Marte aut in aſpectu eius, ex locis laudabilibus, natus amabit beſtias, & capiet ex illis uoluptatem. Similiter ſi Luna fuerit in his locis, quæ modo dixi, domini aſcendentis, ſignificabit tantum quantum dominus aſcendentis, Si Deus uoluerit.

CAPVT XXIIII.

De infirmitate nati, ac eius cauſis.

Onſidera in occaſionibus infirmitatum & cauſis ac qualitatibus earum, ſignum ſ[illegible]ũ & dominum eius, & partem infirmitatum cum domino ſuo, ac Planetas qui fuerint in eo, ſiue fortunas ſiue maleficas, necnon & Lunam, & dominum domus eius, quia maximam ſignificationem habet in infirmitatibus. Quòd ſi fuerint plures ex eis fortunæ, uel ſi aliquis eorum plura habuerit dignitatũ teſtimonia, fueritq; fortunatus & commixtus domino aſcendentis, ſignificat ſanitatem nati, paruasq; ac raras infirmitates. Si uero plures ex illis fuerint mali, & aliquis eorum maiorem dignitatem habet, ſed fuerit tamen impeditus à malis, ac commixtus domino aſcendẽtis, ſignificat uarias ægritudines nati, præſertim ſi fuerit in aliquo angulorum, uel in ſuccedentibus.

Quòd

Quòd ſi Saturnus fuerit dignior cæteris, aut Planeta fortiſsimus præ reliquis fuerit impeditus à Saturno, ſignificat multitudinem morborum, uidelicet, paralyſin, Emorroides, Hydropiſin, & omnes infirmitates frigidas & ſiccas, difficiles curatu. Et ſi Mars fuerit dignior illis, uel is qui plures dignitates habuerit impeditus à Marte, ſignificat morbos calidos, ex Cholera, & ex ſanguine, aut febres, phreneſin aut apoſtemata. Et ſi fuerit Saturnus in ſigno ſexto ab aſcendente, uel à Luna, uel in quarto aſpectu, aut oppoſitione horum locorum, ſignificat multitudinem frigidarum ęgritudinũ nati, præcipuè ſi fuerit in ſigno humido. Si uero Mars fuerit in tali poſitu, ſignificat multitudinem calidarum infirmitatum nati, à quibus tamen cito liberabitur, aut celeriter morietur.

Et ſi Luna & dominus eius, ſignumq; ſextum, liberi ab impedimentis malisq; fuerint, ſignificant ſalutem nati, ſi contrà impediti, interitum, ac multitudinem infirmitatum eius. Et ſi malus aliquis in aſcendente, præſertim ſi Mars fuerit in natiuitatibus nocturnis, coniunctus ſcilicet Lunæ, ſignificat debilitatem uiſus & deſtructionem oculi. Similiter ſi luminaria fuerint impedita à malis, aut caudæ Draconis Lunæ iuncta, ſignificatur uiſus debilitas, & oculorum deſtructio. Si enim Luna malis iuncta fuerit quadrato aſpectu uel oppoſito, extiteritq; in ſigno humido, ſignificat quòd plurimæ infirmitates nati, erunt ex frigiditate & humiditate.

Et

Et ſi fuerit in ſigno ſicco, cum iiſdem conditionibus, ſignificat morbos, ex calore & ſiccitate. Et ſi planeta, qui ſignificat infirmitatem, fuerit orientalis erunt infirmitates in initio uitæ nati: ſi uerò occidentalis, erunt in fine uitæ: ſi in aſcendente extiterit, accident in principio uitæ: ſi in medio cœli, contingent in medio uitæ: ſi in angulo terræ, euenient circa finem. Sed tamen ſecundum fortitudinem Planetæ ipſius in ſemetipſo, uel debilitatem eius erunt infirmitates nati. Cum aũt pars infirmitatis, & dominus eius fuerint liberi à malis, pollicentur ſanitatem nato & ſalutem corpori eius; ſi uerò impediti, minantur dolores, & maximos cruciatus, præcipuè uerò ſi fortuna non aſpexerit eos. Aſcendens autem & Luna in genere ſunt ſignificatores corporis, & dominus aſcendentis, & dominus domus Lunæ, ſunt ſignificatores animæ. Si igitur aſcendens, & Luna fuerint impediti, ac domini illorum tamen fuerint à malis liberi, ſignificant quidem imbecillitatem corporis nati, uerùm ſanitatem iudicij animæ ipſius. Et ſi fuerint aſcendens, & Luna liberi à malis, & domini illorum impediti, ſignificant ſanitatem corporis, uerùm ægritudinem, & pauorem triſticiamq; mentis.

CAPVT XXV.

De rebus matrimonij, & cauſis eius, deq; ſignificatis ſeptimæ domus.

Fac

FAc iudicium de rebus matrimonij ac deſponſationis, ex ſigno ſeptimo, & domino eius, & ex Planeta, quem inueneris in ſeptimo cœli domicilio, nec non à Venere & Luna, & à parte deſponſationis eiusq; domino, ſi fuerint iſti omnes ſignificatores, uel illi qui potiores ex iſtis habuerint dignitates in angulis, uel in ſuccedentibus liberi à malis, & retrogradatione, non combuſti, applicantes domino aſcendentis, ſignificant bonitatem, ac conuenientiam deſponſationis nati. Si uerò dominus aſcendentis applicuerit domino ſeptimi ſigni, ſignificat deſiderium nati in acquiſitione mulierum, & econtra, ſi dominus ſeptimi loci applicuerit domino aſcendentis, ſignificat quòd natus inquiretur ac diligetur à mulieribus. Et ſi Venus fuerit directa in angulo, uel ſuccedenti fortunata nõ impedita, & domini triplicitatis eius fuerint oriẽtales in locis idoneis, itidem liberi ab impedimentis, ſignificant deſponſationem nati in adoleſcentia ſua, & erit fortunatus cũ mulieribus. Et ſi Venus fuerit cadens aut combuſta, & domini triplicitatis eius in locis abiectis, ac in aſpectu malorum, ſignificat deſpoſationem nati tardam, ac incommoda ex cauſis mulierum.

Et ſi fuerit Venus in angulo, uel ſuccedenti libera à malis, & domini triplicitatis eius in malis locis, ſignificat Venus bonitatem & conuenientiam deſponſationis nati: domini uerò triplicitatis eius, detrimentum ac laborem ex eo coniugio. Et ſi Venus fuerit impedita, uel cadens, & domini triplicitatis eius in bonis ac ido-

k neis

neis locis, significat locus Veneris malignitatem despõsationis, sed domini triplicitatis gaudium & commodum ex causis mulierum.

Et si fuerit Venus in natiuitatibus mulierum, uel uirorum, à malis & impedimentis libera in locis aptis, significat idoneam & bonam desponsationem. Si autem fuerit impedita in malo loco, significat detrimentum, & malignitatem desponsationis. Cum uerò fuerit Venus in signo mobili, significat paruam stabilitatem nati in coniugio, uagasq; libidines, maximè si fuerit in Cancro uel Capricorno. Si fuerit eadem in oppositione Lunæ, aut in quadrato aspectu ipsius, significat impedimentum in desponsatione. Et si fuerit in signo communi duorum corporum, siue duarum facierum, siue formarum, significat desponsationem nati cũ duabus mulieribus.

Cum aũt Venus fuerit in domo Martis, & Mars in domo Veneris, significat abundantiam fœminarũ. Si uerò fuerit in domo Saturni, & Saturnus in domo eius, uel fuerit Venus in domo Mercurij, & Mercurius in domo eius, uel si fuerint Venus & Mercurius in domo Saturni, ostendunt natum magis delectari mascula Venere quàm muliebri. Ac si aliquis malorum fuerit in septimo, uel in quarto loco in natiuitatibus uirorum, significat mortem mulierum, & in natiuitatibus mulierum, mortem uirorum. Et cùm fuerit Venus peregrina occidentalis, coniuncta malis, aut in malo aspectu illorum, significat celeritatem mortis mulierum.

Caput

CAPVT XXVI.

De significatis partis desponsationis.

Onsidera partem desponsationis & dominum eius, qui si fuerint in angulis, uel in succedentibus liberi à malis, adiuncti fortunis, uel in aspectu fortunarum, significat desponsationem nati cum optimis mulieribus & pulcherrimis. Et si fuerint pars, & dominus eius cadentes & impediti à malis, maximè uerò sine respectu fortunarum ad eos, significat desponsationẽ nati cum famosis scortis. Si uerò fuerit dominus partis fortunæ cursu directus in angulo, uel succedentibus liber à malis, significat desponsationem nati cum mulieribus pulchris, & optimis.

Partis fortunæ uocabulum in hoc toto capite intelligendum puto de parte desponsationis.

Et si fuerit dominus partis fortunæ malus, cadens, retrogradus aut combustus, significat desponsationem nati cum mulieribus uitiosis, nulliusq; fructus. Et si Venus fuerit cadens ab ascendente, coniuncta Saturno, aut in malo aspectu Iouis, significat prauám nati uoluntatem in mulieribus. Et si dominus septimi, ac dominus domus Lunæ non aspexerint Lunam, nec dominus partis desponsationis aspexerit partem, nec dominus domus Veneris Venerem ipsam, significat prauitatem uoluntatis nati in desponsatione & libidine. Cum autem eleuatus fuerit Saturnus supra Venerem in signo decimo, uel in eius opposito, signi-

k 2 ficat

ficat exiguum amorem nati erga mulieres. Venus uerò sic exaltata significat amorem nati erga mulieres. Venus cùm fuerit iuncta Marti, aut in malo aspectu ipsius significat turpitudinem luxuriæ. Et cùm fuerit eadem in domo Iouis, et in aspectu ipsius in natiuitate uirorum uel mulierum, significat aptitudinem & perfectionem desponsationis, & constantiam in ea. Cùm autem fuerit Venus in domo Martis, & in aspectu eius, significat damnationem & malignitatem coniugij. Sed cùm fuerit ipsa in domo uel exaltatione sua, aut in domo Solis uel exaltatione eius, significat desponsationem & coniunctionem nati cum mulieribus propinquis. Et si inueneris Venerem in domo Iouis, uel econtrà Iouem in domo Veneris, significat desponsationem mulierum nobilium. Et si Venus fuerit in domo Saturni, significat coniugium mulieris grandæuæ. Et si fuerit in domo Mercurij, significat coniunctionem uxoris ignobilis, & uilis etiam ancillæ. Si eadem in domo Lunæ reperiatur, designat matrimonium incongruæ mulieris. Si uerò fuerit in domo uel exaltatione sua, uel in angulo libera à malis, & retrogradatione ac combustione, significat altam desponsationem, & bonum statum nati, maximè si aspexerit eam Iupiter. Et si Venus fuerit orientalis, significat audaciam mulieris super uirum, cum multitudine amoris & gaudij. Et si fuerit occidentalis uel in descensione sua, significat paruum amorem nati cum uxore, præsertim si non aspexerit eam Iupiter, & si fuerit retrograda, grauitatem

tem significat & difficultatem desponsationis nati. Quando Venus sub radijs fuerit, significat desponsationem mulierum ægrotarum, & maximè in abscondito. Et quando uenerit perfectio anni ascendentis radicis ad signum septimum, uel illius reuolutionis ascendens fuerit signum septimi loci, significat desponsationem in eo anno. Et si signum illud fuerit signum mobile, significat desponsationem plurium mulierum. Et si fuerit commune, duarum, si fixum, unius. Intellige hoc totum & inuenies ueritatem, Si Deus uoluerit.

CAPVT XXVII.

De peregrinatione & itineribus nati, ac de significatis nonæ domus.

Ide de peregrinatione ac itineribus nati signum nonum ac dominum eius, & Planetam qui fuerit in domo nona. Item, Martem ac partem itineris, & dominũ eius. Si enim plures ex illis fortunæ fuerint, aut is qui in istis locis omnibus habuerit maiorem dignitatem, fuerit fortunatus, applicans domino ascendentis, aut dominus ascendentis, significat lucrum & commodum magnum ex itineribus. Et si fuerint plures ex eis impediti uel infortunati à malis, uel is Planeta qui in locis ipsorum maiorẽ habuerit dignitatẽ impeditus, uel infortuna, & applicuerit

rit domino aſcendentis, ſignificat illi malum, detrimentum, & damnum ex itineribus. Poſtea aſpice quis illorum plura teſtimonia habuerit, & in fortiori loco extiterit, Quia ſi fuerit inter eum & dominum aſcendentis applicatio & commixtio, cum mutua conuenientia, ſignificat quòd natus multa itinera faciet. Et ſi non fuerit inter eos applicatio, commixtio & concordia, ſignificat quòd natus permanebit in ſuo loco, amãs gaudij & quietis. Et ſi fuerit Mars in angulo aſcendentis, ſignificat peregrinationes & itinera multa. Et ſi Luna non aſpexerit dominum domus ſuæ, ſignificat quòd natus erit inquiſitor uictus ſui extra patriam ſuam. Aſpice præterea dominos triplicitatis Martis, quia ille qui melioris conditionis ac loci fuerit, ſignificat fœlicia nati itinera, ſi ſit fortunatus, Infœlicia uerò ſi ſit infortunatus, adeo quòd nullis annis habebit natus ex itineribus uictum quæſitum, præſertim uerò primus dominus magis q̃ reliqui, & ſi dominus noni ſigni fuerit impeditus, uel mali fuerint in eo, uel applicuerint domino aſcendentis, uel dominus aſcendentis eis, ſignificat amiſſionem, malum ac damnum proueniens ex itineribus. Cùm uerò dominus nonæ domus applicat Marti, aut in eius domo uel terminis eſt, uel terminos illos aſpicit ſignificat multa & uaria itinera, & habitationem in exteris regionibus.

♂ in ♋
♀ ♂ ☽

Aſpice præterea Lunam in tertio die natiuitatis, quæ ſi fuerit commixta Marti, aut in domo uel eius termino, ipſo eam aſpiciente, ſignificat peregrinationes

nes & itinera multa. Cùm uerò dominus aſcendentis fuerit coniunctus, aut in oppoſito aſcendentis loco, uel in ſigno contrariæ complexionis à ſigno aſcendentis, & dominus domus Lunæ coniunctus Lunæ, ac ſi dominus aſcendentis fuerit in deſcenſione ſua, ſignificat uictum nati in extraneis regionibus. Si uerò fuerit dominus domus Solis contrarius Lunæ, ſignificat quòd natus peraget, id eſt, perficiet multa itinera, & ſi fuerit fortuna, adipiſcetur bonum & commodum in itineribus, ſi uerò malus, malum. Et ſi Luna fuerit in tertio ſigno ab aſcendente, applicans Mercurio, & ipſe fuerit impeditus â Marte, euenient nato res aduerſæ in ſuis itineribus. Si autem fuerit Luna uel dominus domus eius in angulo occidentis, ſignificat quòd natus diliget itinera. Similiter ſi dominus aſcendentis fuerit in nono, uel dominus noni fuerit in aſcendente, ſignificat deſiderium nati in itineribus, & mutationem ex regione ad regionem. Cùm uerò fuerit Luna in tertia die natiuitatis applicata fortunæ, & ipſa fortuna fuerit in bono loco orientalis, ſignificat profectum nati in itineribus. Et ſi fuerit applicata infortuna occidentalis, quam non recipiet, ſignificat detrimentum nati & infœlicitatem itinerum eius.

♂ Dñus domus ☉.

CAPVT XXVIII.

De utilitate & damno itineris.

Aſpice

ASpice nonum ſignum, quòd ſi fuerit in eo fortuna, aut in quadrato aſpectu, uel eius oppoſito, ſignificat gaudium & profectũ in itineribus, maximè ſi dominus aſcẽdentis fuerit fortuna, aut in aſpectu fortunarũ. Quòd ſi malus fuerit in nono, aut in quarto aſpectu, uel in eius oppoſito, ſignificat malignitatem & impedimentum itinerum. Sed ſi dominus nonæ fuerit in aſcẽdente uel medio cœli, ſignificat amorem nati ac uoluptatem in itineribus. Si uerò Venus fuerit domina noni & ipſa in aſcendente uel medio cœli extiterit, ſignificat gaudium & deſponſationem nati in itinere. Si autem Iupiter fuerit dominus noni in aſcendente uel medio cœli conſtitutus, ſignificat acquiſitionem principatus & imperij in itinere. Et ſi fuerit Mercurius dominus noni in aſcendente uel medio cœli, ſignificat acquiſitionem ſcientiæ & magnitudinem, ac cauſas nobilium in itinere. Quòd ſi Saturnus fuerit noni dominus in aſcendente uel in medio cœli poſitus, aſpiciens Iouem, ſignificat acquiſitionis bonitatem in itinere ex rebus aquaticis & terrenis, atq; beſtijs. Et ſi Mars fuerit dominus noni in aſcendente, uel in medio cœli inuentus, aſpiciens Iouem, adipiſcetur bonum in itinere ex militibus nobilibusq;, ac principibus, quibus commiſſa ſunt bella & exercitus. Si uerò dominus domus Solis non aſpexerit Solem, & dominus domus Lunæ Lunam, & dominus quoque aſcendentis, non intuetur aſcendentem, uel ſi Mars eſt in tertia uel

uel nona domo, aut pars itineris cum Marte, & dominus partis contrarius naturæ domus ſuę, ſignificat multitudinem itinerum, cum labore & amiſsione ac metu. Et ſi pars itineris in aliquo angulorum coniuncta domino aſcendentis uel Lunæ fuerit, ſignificat amorem in itineribus.

CAPVT XXIX.

De lege, religione & uiſionibus nati.

ASpice in re fidei & ſomniorum ad iſtas duas domos, Tertiam uidelicet & nonam, quia ex illis ſcitur de lege & uiſionibus. Scias igitur fortitudines earum, & qui Planetę in eis ſint, quiue aſpexerint eas, & qui ſint domini domus, exaltationis, triplicitatis, termini, & in quo loco circuli maneant. Item quis ſit dominus partis legis & ubi locus ſit partis, an in ſigno mobili uel duorum corporum uel fixo, aut an ſit in angulo uel ſuccedenti uel cadenti, ſiue an dominus eius ſit orientalis uel occidentalis, directus an retrogradus, ſub radijs Solis, an extra radios. Obſeruabis etiam quòd Mercurius habet proprietatem in rebus fidei & ſomniorum, & plus quàm cæteri. Quare uide cum quo Planetarum commiſceatur, aut quibus applicet, & qui plurimum afferat ad eum dignitatis. Si igitur Mercurius fuerit in domo Saturni, aut in aſpectu eius, ſignificat profunditatem ſcientiæ

nati,& erit durabilis & occultator cogitationum ſuarum,habebit odio gaudium,riſus, ludos, exiſtens humilis & ſuſtinens anguſtias ac labores, maximè ſi non aſpexerint eum fortunæ, & ſi fuerit cadens. Quòd ſi fuerit in domo Iouis,aut in aſpectu ipſius,ſignificat gloriam,fœlicitatem,atq; bonam fidem eius. Et ſi fuerit in domo Martis,aut in malo aſpectu eius,ſignificat quòd natus erit malæfidei, fundens ſanguinem, & inferens iniurias,deridens legem ſuam. Si uerò in bono aſpectu ipſius fuerit,erit pulcher mendaciorum figulus,quæ ante à nemine ſunt excogitata,inuentor omnis maliciiæ, nouorum ſcelerum & flagitiorum, ornator falſitatis, index & delator. Et ſi fuerit in domo Solis aut in aſpectu ipſius,erit grauis,humilis,fidelis & ſapiens, peritus in libris & iudicijs,religioſus & amans diuitias. Si uerò fuerit in domo Veneris,aut in aſpectu illius,erit largus, boni animi,maximi gaudij. Et ſi aſpexerit eum Mars, erit ſecurus,ſuæ legis deriſor. Quòd ſi fuerit in domo Lunæ aut in aſpectu ipſius, ſignificat quòd natus erit timens Deum,& diligens bonam famam,quam conſequetur celebrem & laudabilem. Et ſi Mercurius fuerit in domo ſua,ſignificat quòd natus erit dominus ſcientiæ,& bonæ fidei,ſapiens diuinorum librorum,& aliorum,ex quibus rebus gloriam & celebrem famam conſequetur,maximè ſi Iupiter aſpexerit eum. Porrò ſi fuerit ſignum nonum commune, & dominus eius in ſigno communi,ſignificat inſtabilitatem nati in ſua fide maximè ſi aſpexerit nonum Mars. Si uerò fuerit nonum mobile ſignum, ſignificat dubitationem nati in fide uel lege,& mutationem eius de una ad alteram, & non erit conſtans in re una. Si uerò nonum ſignum fixum,& dominus eius in ſigno fixo extiterit, ſignificat conſtantiam eius in fide, conſilio & opere, maximè ſi Mars eum non impedierit, & ſi is qui præcipuas habet dignitates in nono loco, uel in aſcendente, in medio cœli, liber à malis fuerit (in his enim locis dominus nonæ domus fœliciſsime ponitur) & cùm ſic poſitum inueneris, liberè pronuncia, quòd natus erit boni ſenſus in rebus optimis, amator ſapientiæ & artium, & in fide perfectus, præſertim ſi Iupiter fuerit dominus noni,aut aſpexerit eius ſigni dominum. Et ſcito quòd quando fuerit dominus noni in ijs locis, quæ diximus orientalis, natus legem ſuam manifeſtabit,& ſi fuerit occidentalis, legem ac fidem ſuam cælabit ac abſcondet. Mercurius quando fuerit cum Luna in ſigno nono, in domo propria uel in domo Lunæ, & pars fidei cum eis, ſignificant natum ſubtilem eſſe in ſcientia ac ſapientia, & erit expoſitor librorum, ſomniorum ac iudiciorum,uel erit Propheta. Et ſi Iupiter cum eis fuerit,aut eos aſpexerit, ſignificat quòd erit uerax ab hominibus receptus,bonus, benignus, ac dilectus hominibus,& inquiſitor conſiliorum in rebus altis & magnis. Quando caput Draconis Lunæ in tertia domo fuerit, in natiuitatibus nocturnis, uel in nona in natiuitatibus diurnis,ſignificat natum hominem

notum ac firmum esse in lege & fide sua, præsertim si Sol, uel Iupiter, uel Mercurius aspexerint illum, uel si duo ex prædictis aspexerint, quia tunc erit eo melior & magis laudatus. Et si nona domus fuerit domus Iouis, & Luna in ea fuerit in natiuitatibus nocturnis, significat quòd natus erit Astronomus, peritus diuinationum, ac futurorum annunciator.

Similiter si Mercurius fuerit dominus noni, aut in nono loco fuerit Stella de natura Mercurij. Porrò quando inueneris Lunã in ascendente, significat quòd natus odiosus erit, & mali animi. Similiter si pars fortunæ in natiuitatibus diurnis & nocturnis, in ascendente, uel in angulo terræ fuerit, significat quòd natus erit odiosus, & propinquis suis malum faciens. Pars quoque fidei, quando fuerit cum Saturno, significat quòd natus erit inquisitor rerum constans, & moram faciens in eis. Et si fuerit cum Ioue, significat quòd natus erit bonæ fidei pulchriq; sermonis. Et si fuerit cum Marte, erit malæ fidei, & malorum morum. Si uero fuerit cum Sole non tamen sub radijs eius existens natus erit sapiens, nomen famamq; bonam diligens. Et si cum Venere fuerit, significat quòd erit beneuolus, ludi ac gaudij amator. Et si cum Mercurio fuerit, significat scientiam Arithmeticam, & librorum ac negociationis. Et si cum Luna fuerit, significat largitatem & mundiciem nati. Et si nona domus, fuerit domus Iouis, aut exaltatio Solis, Lunæ, Veneris, & dominus exaltationis suæ, sit dominus triplicitatis eius luminaris, quod

V in 9a quæ est exal. ☉. Hic ueo Dnus exalt. eius est Dnus triplicitatis q Dnus et est in 3a

quod dignitatem habuerit, fueritq; in bono loco circuli, habebit natus uictum propter fidem, uel propter legem, eritq; bonæ fidei, laudatus & dilectus ab hominibus. Et si fuerit aliquis fortunarũ in signo tertio uel nono, natus erit fortunatus per causas fidei, legis & scientiarum. Similiter si domini horum duorum locorum fuerint in bonis locis circuli, liberi à malis, significant hoc idem. At si Saturnus dominus noni signi fuerit, significat natum esse sapientem, maximè si in aspectu fortunarum fuerit, nec retrogradus, nec sub radijs Solis. Planeta enim hic quando sub radijs fuerit, significat deceptionem, occultationem, quando uerò retrogradus fuerit mendacia. Et aspice signum tertij & noni loci dominosq; eorum, & partem fidei, & dominũ eius, qui si salui fuerint, omnes aut plures ex his liberi ab impedimentis, & à casu ab angulis, erit natus bonæ fidei ac religionis. Si uerò impediti fuerint, aut mali in tertio uel nono loco extiterint, aut quadrato oppositóue aspectu eò respexerint, significant malam ac corruptam fidem. Luna item si fuerit domina tertij, aut dominus tertij in nono fuerit, aut conuersa uice dominus noni in tertio, uel ipsa aut Mercurius in eisdem, ac Iupiter uel Venus domorum domini fuerint, et in angulis positi, significant regnum, & exaltationem per causas fidei. Et si scire uolueris, in qua ætate natus sit melioris fidei, accipe dominos triplicitatis partis fidei, quia quicunq; ex illis melioris status ac loci fuerit, & in tertia à

♃. ☉. ☿ et ☿ eo spica hunc in 3a

☿ in 3a
♀ 8a 3 ☾
♃ in 3a

Sole fortunatus illius temporis, erit natus melioris fidei, ac religionis.

CAPVT XXX.

De dignitate & opere nati, ac de significatis decimæ domus.

ℸ ☌ ♀ ☽

ASpice signum decimum, & dominum eius & partem regni cũ suo domino, & Solem in natiuitatibus diurnis, Lunam in nocturnis, & scias quis ex eis habeat plures dignitates, quia si fuerit inter illũ, qui plures dignitates habuerit, & dominum ascendentis Alictisal, uel commixtio aut configuratio, erit natus homo regius, & ex regno ditescet, & summum honorem consequetur. Et si non fuerit inter eos Alictisal, nec coniunctio, nec configuratio, erit natus ignotus regi, modici precij, & paruæ potentiæ. Quòd si Planeta, qui in istis maiorem dignitatem habuerit in domo sua fuerit, & in bono aspectu cum domino ascendentis, habebit natus regnum & potentiam magnam. Et si inter eos aspectus non fuerit, erit natus exiguæ potentiæ, & cognationis cum regibus.

☽ in ♎ in ♐ aspectu ☉ Ꝓnas cendentis

CAPVT XXXI.

De re regni nati.

Aspice

ASpice in re regni dominum ascendentis, ac dominum medij cœli, inter quos si fuerit applicatio, significat natum nomen & commodum adipisci ex regibus. Quòd si dominus ascendentis applicabit domino decimæ domus, natus quidem commoda consequetur à regibus, sed per inquisitionem & petitionem suam. Si uerò dominus medij cœli applicuerit domino ascendentis, signum est quòd reges & principes ultro eũ uocabunt & extollent. Et si hæc fuerit ab angulis applicatio, erit dignitas, qua ipse consequetur potentiam magnam, magniq; nominis, & maximè si fuerit in ascendente, uel in medio cœli. Quòd si fuerit dominus ascendentis in angulo, ac dominus medij cœli cadens, significat altitudinem regni, et nominis magnitudinem, sed opera uilia & ignota. Si uerò dominus decimi est in angulo, ac dominus ascendẽtis cadẽs, natus erit excellens in operibus suis, sed inglorius, & ignobilis. Et si ambo cadentes fuerint, significant uilitatem tam nati quàm operis.

☉ et ♀

☉ in 4a
♀ in 3a

Dominus ascendentis, cum in medio cœli fuerit, significat natum ex Curia regis esse, & in operibus regis commixtum. Et si inter eos bonus aspectus fuerit, significat amicitiam inter regem & natum, & si fuerit malus inimicitiam & molestiam. Si uerò inter dominum ascendentis, & dominum medij cœli applicatio nulla fuerit, aspice applicationem, quæ fuerit inter dominum ascendentis, & Solem. Quòd si dominus ascendentis applicuerit Soli, & Sol domino

ascen-

ascendentis, significat quòd natus lucrabitur ex rege, & erit coniunctus regibus ac nobilibus, maximè si fuerit applicatio ex bonis locis. Et si fuerit applicatio ex quadrato, uel opposito, significat quòd commiscebitur regibus, & erit in negocijs eorum, & acquiret inde facultates, sed grauabitur à regibus. Et si fuerit applicatio ex trino uel sextili aspectu, promittit nato amorem regum, & acquisitionem pecuniæ & honoris. Sed si fuerit dominus ascendentis coniunctus Soli, significat natum regis esse familiarem ac fidelem, & scientem secreta eius, & habebit honorem per ignem, et rex adiunget eum sibi, ac gratiosus erit in uerbis suis apud eum. Si dominus ascendentis fuerit unus ex Planetis superioribus, fuerit q̃ in medio cœli domino eius applicatus, significat ipsum esse coniunctum tam nobilibus quàm regibus, & erit quasi unus ex eis, & habebit negocium cum omnibus. Et si unus ex Planetis inferioribus dominus ascendentis fuerit, in medio cœli existens, uel dominus medij cęli applicatus ei, significat ipsum aliquod regis officium tenere, aut alicuius maioris domini sese. Et si dominus ascendentis alicui luminarium applicatus fuerit, uel econtrà, significat coniunctionem nati cũ regibus. Et si fuerit receptus, habebit ex hoc bonum, si non fuerit receptus, non multum inde redibit ad natum commodi.

CAPVT XXXII.

De

De prosperitate, & potentia nati.

Considera pro potentia nati inuestigãda, ac regno eius Planetam, qui habet applicationem cum domino ascendentis, uel è contra, cui applicat dominus ascendentis. Qui si fuerit in exaltatione sua, significat coniunctionem nati cum regibus & nobilibus. Et si in domo sua fuerit, significat coniunctionem cum minoribus his, altis tamen & nobilibus, & dic de termino & triplicitate sic, quòd & ipsa sunt minora domo & exaltatione. Post hoc aspice partem operis, & dominum eius, qui si fuerit in loco apto ascendenti, liber à malis, aut dominus ascendentis, dominusq̃ partis in angulis, significat natum esse multi operis, & paucæ quietis. Et si dominus partis applicuerit Planetæ in sua exaltatione existenti, significat altitudinem status nati, & magnitudinem potẽtię eius, maximè si fuerit stella in angulo. Et si in domo sua extiterit, erit inferius quiddam, & si in termino & triplicitate adhuc minus hoc. Si uero in facie erit infra hoc, q̃ dixi, & si fuerit auctus cursu Planeta, significat multitudinem otij, & quòd natus amabit loca solitaria, secundum naturam signi in quo fuerit.

pars operis

CAPVT XXXIII.

De magisterio nati.

m Incipe

INcipe in ſcientia precij & ordinis operis, ac magiſterij nati, quod cognoſcitur ex natura ſtatu & qualitate Planetæ ac fortitudine eius, qui præcipua habuerit teſtimonia in ſignificatis illorum. Scito igitur, quòd ſignificator magiſterij eſt ille Planeta, qui eſt in aſcendente, uel medio cœli orientalis à Sole, & occidentalis à Luna. Item is cui Luna poſt coniunctionem uel oppoſitionem præcedentem natiuitatem applicat, in natiuitatibus diurnis, & pars fortunæ in natiuitatibus nocturnis, & Planeta, cui Luna applicuerit in hora natiuitatis. Planetę autem, qui magiſteria ſignificant ſua natura ſunt, Mars, Venus, Mercurius, quorum ſi inueneris unum in aſcendente, uel medio cœli orientalem, & dignitatem ibi habentem, & in bono aſpectu Solis, aut Lunæ, ſignificat magiſterij altitudinem & utilitatem, ac bonitatem ſecundum naturam Planetæ, qui hoc ſignificat. Verùm ſi nullus horum trium fuerit in aſcendente, uel medio cœli, & fuerit aliquis eorum in angulo terræ, uel in ſeptima, erit magiſterium minus illo, quod dixi, cum uiciſſitudine laboris & otij. Si uero nullus eorum, ut dixi, fuerit, fac tibi teſtimonium in magiſterio, nati à domino decimæ domus, ſi natiuitas diurna fuerit, uel à Planeta cum quo Luna habet applicationem, ſi natiuitas fuerit nocturna, maximè ſi dignitatem habuerit in loco partis fortunæ. Nam ille, qui fortius teſtimonium habuerit, & in fortiori loco fuerit, erit ſignificator magiſterij nati, qui ſi fuerit boni eſſe, & in bono loco, et Mercurius

curius aſpexerit eum aſpectu fœlici, ſignificat natum habere bonum magiſterium diuitiasq;, & proficiet in negociatione ſua, atq; in ſcientia ſcripturæ & Arithmeticæ, multa dans, & multa accipiẽs, bono ingenio, ac probatis moribus præditus.

Et ſi aſpexerit eum Saturnus amicis radijs, ſignificat uictum nati ex cultu terrarum, & populatione earum, & maior domus ſuæ erit, & maior in dominatu. Et ſi aſpexerit eum Iupiter, erit natus ſcriptor et orator honoratus apud reges & nobiles. Et ſi Mars aſpexerit eum aſpectu fœlici, erit Phyſicus, uel uates, uel nigromanticus, aſtutus & prouidus in ſuis operibus. Et ſi aſpexit eum Sol, uel cum eo fuerit, ita ut radijs etiam ſuis ipſum comburat, ſignificat eum altum magiſtrum eſſe, maximæq; ſublimitatis, ac ſcriptorem regum, plurimiq; precij apud eos, nobilis magiſterij, & multæ doctrinæ.

Et ſi Luna aſpexerit, ſignificat ſcientiam, doctrinam, fortunam, perfectionemq; nati. Et ſi Venus eum aſpexerit, ſignificat natum eſſe coniunctum cum mulieribus regum, ac nobilium, & plurimum ualere apud eas, commodumq; ab eis adipiſci. Et ſi aliquis malorum eum aſpexerit, fueritq; in loco forti ſuæ dignitatis, ſignificat laborem ac difficultatem in magiſterio. Et ſcito quòd in anno, quo profectio aſcendentis radicis peruenerit ad ſignum medij cœli, ſi fuerit in eo aliquis ex Planetis magiſterium ſignificantibus, renouabit natus magiſterium ſuum, ſecundum naturam

ſubſtantiæ Planetæ, qui ibi fuerit, & ſecundum eius cõmixtionem cum alijs ſtellis.

CAPVT XXXIIII.

De audacia & fortitudine nati.

ASpice partem audaciæ, & dominum eius, in quo loco circuli fuerint, & Planetas ſiue fortunas, ſiue malos ipſos aſpicientes, qui ſi fuerint in angulis, & maxime in domo Martis aut Solis, ſiue Iouis, cum aſpectu alicuius eorum, uel ſi fuerit Luna cum Sole uel Marte in angulo, uel Sol & Luna cum Marte aſpexerint partem dominumq; eius trigonica radiatione, ſignificant natum eſſe ſtrenuum. Et ſi fuerit pars fortunæ cum Marte & Ioue, ſignificat natum eſſe audacem, & Ducem exercitus. Et ſi fuerit unum ex luminaribus in aſcendente, & aliud in medio cœli, ſignificat quòd natus erit audax, ac rector & dux exercituũ, ac temerarius in effuſione ſanguinis.

Et ſi fuerit aſcendens ſignum maſculinum, & luminaria, dominusq; aſcendentis in ſigno maſculino, Marte in angulo commorante, ſignificat quòd natus erit audax, eiusq; mandata implebuntur, & amabit effuſionem ſanguinis, maximè ſi fuerit pars audacię cum Marte, aut Mars dominus partis fuerit. Et quando fuerit dominus partis audaciæ cum Marte in domo nona, ſignificat ſtultitiam nati, & erit exiguæ pietatis.

Et

Et maius bonum, per quod fortunatur natus in re ſtrenuitatis eſt, ut aſpiciat Iupiter Martem, aſpectu bono, & ſi fuerit cum hoc aſpectu inter eos receptio, erit natus exemplum ſtrenuitatis. Quando fuerit pars audaciæ cum Saturno, aut in malo eius aſpectu, ſignificatur quòd erit Hypocriſis in ſtrenuitate nati, eritq; debilis in ea.

Et quando fuerit Mars in ſigno aqueo, ſignificat debilitatem in ſtrenuitate, erit tamen magna audacia cum fuerit Mars in aliquo angulorum, & maximè in Ariete, aut in eius triplicitate. Et cum fuerit in prima, ſignificat quòd natus auerſabitur homines, & erit cupidus cædium, & effuſionis ſanguinis humani. Hoc idem erit, cum fuerit Mars in domo Lunæ, & quando fuerit Mars cum Mercurio in angulo ſub radijs Solis, ſignificat quòd natus erit latro publicus, & infeſtator uiarum, & erit notus propter hoc in terris. Cum autem fuerit Mars cum Luna in angulo ſub radijs Solaribus, ſignificat quòd natus erit fur occultus, & perforator, ac fur nocturnus, & quando Mars non fuerit in angulo, ſignificat quod natus non erit celebris, aut honoratus ex ſtrenuitate. Et cum pars militiæ non fuerit in domo Martis, natus non erit honoratus in militia ex fortitudine ſua. Semper autem cum ſydus Martis in Horoſcopo fuerit, ſignificat ſceleroſum hominem, & impium, qui exercebit turpes libidines, & omnis generis flagitia perpetrabit, & eodem modo dic in interrogationibus.

CAPVT XXXV.

De amicitijs.

Conditionem amicorum dijudica ex undecima domo & domino eius, & Planetis quos inueneris in ea, & ex Venere ac parte amicorum, quorum si plures fuerint fortunæ, significant multitudinem amicorum nati & sociorum eius, & maxime si inter dominum undecimi, & dominum ascendentis fuerit applicatio. Et si inueneris fortunas in undecimo signo, aut in quadrato aspectu oppositóue eius, significant multitudinem amicorum, & sociorum nati, ac fortunam eorum, & si inueneris malos in eo, aut in quarto aspectu uel oppositione eius, significat paucitatem amicorum & sociorum, & exiguitatem boni eorum. Et si Planeta qui plures dignitates in domo amicorum habuerit, fuerit Saturnus, significat quôd plures amicorum eius erunt senes serui & captiui. Sed si Iupiter fuerit, erunt plurimi eorum nobiles ac diuites, magniq; precij & existimationis. Et si Mars fuerit, erunt plures Duces ac principes, homines q; bellicosi. Si uero Sol fuerit, erunt plurimi Duces & principes, reges ac nobiles. Sed si Venus, erunt mulieres & homines effœminati. Si uero Mercurius fuerit, erunt plures scriptores ac negociatores, & sapientes uel artifices. Quòd si fuerit Luna præcipuarum dignitatum domina, erunt plures ex amicis nobi-

nobiles, multi etiam ignobiles. Et sic omnis stella significat secundum naturam suam, & secundum eius fortitudinem, fortunam & infortunam, erit nati commodũ aut damnum. Aspice præterea dominum ascendentis & undecimi, & applicationem eorum inter se & mutuam receptionem, & qualiter unus eorum alterum fortunat uel infortunat, & loca eorum in circulo. Si enim fuerint in signis mobilibus, significant raram constantiam uoluntatum amicorum, aduersus natum. Si uerò in signis communibus, quandoq; amicitiam, quandoq; dissolutionem eius designant. Si uerò in signis fixis cohabitauerint, significant firmam & durabilem amicitiam amicorum erga natum. Verùm ubi dominus ascendentis dominum undecimi impedierit, à nato patiuntur impedimentum amici. Si uerò dominus undecimi dominum ascendentis impedierit, natus ab amicis damnum accipiet. Et si uterq; eorũ alterum fortunauerit, habebunt amici & natus mutua inter se bona ac beneficia. Quòd si dominus undecimi non aspexerit domum suam, nec Venus respexerit dominum domus suæ, nec dominus partis amicorum partem ipsam, significat q; natus erit apud homines odiosus, nec diliget societatem eorum, solitudinis amans. Cùm autem fuerit domus amicorum fortunata & boni esse, significat bonum statum & bonam fortunam amicorum, Si infortunata extiterit, econtra infœlicitatem & paupertatem eorum denunciabit.

Caput

CAPVT XXXVI.

De inimicitijs ac significatis duodecimæ domus.

ASpice in rebus inimicorum à signo duodecimo & domino eius, & à Planeta in duodecima domo conuersante, & à parte inimicorũ & eius domino ac Saturno. Si enim fortissimus horum fuerit malus uel impeditus, & aspexerit dominum ascendentis, significat multitudinem inimicorũ nati, & detrimentum ab eis.

Si autem ille qui plures dignitates habuerit, fuerit fortuna uel fortunatus, & aspexerit dominum ascendentis, significat paucitatem inimicorum nati, & bonitatem sui nominis apud homines. Similiter si dominus duodecimi non aspexerit dominum ascendentis, significat paucitatem inimicorum nati. Quando dominus duodecimæ, & dominus ascendentis se mutuò beneuolè aspiciunt, significantur pauca aut nulla damna ab inimicis. Similiter cum in domo inimicorum una ex duabus fortunis fuerit, & habuerit ibidem aliquam dignitatem, significat quòd aduersarij eius erunt boni homines, qui ei non nocebunt. Et si fuerit ibidem infortuna, significat detrimentum inimicorum. Et si dominus duodecimi fuerit in angulo uel in succedenti, & ibi aliquam dignitatem obtinuerit, significat nobilitatem & fortitudinem inimicorum. Si uero cadens et peregrinus fuerit, uel sub radijs Solaribus, uel in descensione sua, significat inopiam & malum statum inimicorum. Cum enim aliquis malorũ in domo inimicorum extiterit, aut fuerit dominus domus inimicorum infortunatus ab aliquo malorum, & ex locis malis, significat prosperitatem nati cõtra inimicos, & aduersitatem illorum designat. Si autem aliqua fortunarum ibi permanserit, uel dominus duodecimi applicuerit alicui illarum, significat fortitudinem & prosperitatem atq; uictoriam inimicorum aduersus natum. Et si dominus duodecimi in oppositione Solis uel Lunę, aut in ascendente fuerit, significat multitudinem inimicorum atq; infestantium natum. Quòd si fuerit malus, erit inimicitia in uilibus rebus, Si uerò fortuna, erit inimicitia pro magnis rebus & altis.

CAPVT XXXVII.

De qualitate mortis, & occasionibus eius.

ASpice in causis & occasionibus mortis ascendens & dominum eius, ac partem mortis cum domino eius, & signum quartum cum suo domino, & Planetas qui in his locis fuerint bonos uel malos, & qui aspexerint eò, & ex domino triplicitatis anguli terræ, & à domino septimę domus, & ab octauis signis â Sole & Luna, ac dominis eorum. Quòd si unus uel plures eorum qui habuerint

buerint pociores dignitates, in prędictis locis fuerint ſalui ab impedimentis malorum, à retrogradatione & à combuſtione, & fuerit locus octauæ ſaluus, ita quòd non ſit in eo aliqua infortunarum, aut in eius oppoſito, ſignificat liberationem nati & bonitatem mortis eius. Et ſi fuerit Almuten ſuper hæc loca impeditus ac retrogradus uel combuſtus, aut in ſua deſcenſione, ſignificat malam ac extraneam mortem, & eſt unicuique ſtellæ ſua peculiaris ſignificatio in hoc. Si enim Saturnus in his locis dignior fuerit, uel eius radij uel eius diſpoſitio ibi inueniantur, & ipſe non fuerit impeditus, ſignificat mortem cum doloribus ac cruciatibus diuturnis ex frigiditate & humiditate. Et ſi impeditus fuerit, ſignificat mortem in niue, uel ſubmerſionem in aquis. Verùm ſi Iupiter cœteris dignior fuerit, & ipſe ſaluus ab impedimentis, erit mors nati ex doloribus pulmonis & ex ſputo ſanguinis, & ex dolore ſtomachi, & per læſionem Epatis, & ex potu uini. Si autem fuerit impeditus, accidet nato mors per regem, regiſq; iuſſu, & per populum. Quòd ſi Mars ex illis dignior fuerit, non impeditus, mors eius repentina fiet ex calida ægritudine & ſanguine, aut ex quouis dolore acuto & incentiuo. Quòd ſi impeditus fuerit, erit mors illius per ignem aut per ferrum, per litem aut per interfectionem. Et ſi Sol fuerit dignior, uel eius radij aut eius diſpoſitio fortior fuerit, Sole ipſo non impedito, mors ex dolore comburenti inter ſeruos, propinquos, & ſuam familiam, in ſuo populo, nato contingit.

Si uerò fuerit impeditus, adueniet ei mors ex cauſa parentum, & regum & propinquorum, uel ex dolore ſtomachi uel oris eius, & morietur in congregatione ac turba populi, & in multitudine balneantium aut rex eum morte afficiet. Si autem Venus fuerit dignior cum ſuis radijs, uel cum ſua diſpoſitione non impedita, adueniet ei mors ex dolore uentris, & ex Emorroide. Si uerò impedita fuerit, ſignificat mortem ex luxuria aut uenenatis pharmacis. Et ſi Mercurius dignior fuerit cum ſuis radijs, aut diſpoſitione non impeditus, erit mors eius ex Phreneſi & Colera rubea, & diuerſis doloribus inteſtinorum, & Icteritia. Si uerò impeditur, cauſa mortis erit ex tractatione ſcripturæ, ſermone uel cõſilio, quod daturus eſt. Cum autem Luna fuerit dignior non impedita, accidet ei mors ex diuerſis, prouenientibus ex cauſa ciborum humidorum ex potu, & luxuria. Et ſi impedita fuerit, erit mors nati ſecundum naturam Planetæ, impedientis Lunam. Cùm autem Planetæ mortem annunciantes, fuerint in domibus ſeu exaltationibus ſuis, liberi ab impedimentis, erit mors eius in ſua terra, & in ſua domo, melioris eſſe & pulchrioris. Si uerò fuerint impediti extra ſuas domos & exaltationes, erit mors eius in peregrinatione, in regione extranea. Si uerò cadentes fuerint, erit mors eius ex caſu ab alto. Si in deſcenſione ſua, erit mors eius in puteis & aquis, & in locis ruinoſis. Et ſi retrogradi fuerint, erit mors eius ex ſtrangulatione uel compreſsione in turba. Cùm enim Luna in nati-

uitatibus nocturnis, & Sol in natiuitatibus diurnis fuerint coniuncti malis, aut in malo ipsorum aspectu, significat malam mortem nati, & difficultatem mortis. Si autem Luna fuerit coniuncta Soli, aut in quadrato aspectu aut opposito, erit mors eius per ignem.

Et si Mars fuerit in quarto singo, impediens dominũ octaui, erit mors eius per ferrum. Si uerò Saturnus ibidem extiterit, impediens dominum octaui uel in quarto signo à Sole uel à Luna, eueniet ei mors ex tortura & carcere. Et si fuerit Mars cum capite Draconis Lunæ in signo quarto, erit mors eius in furca, siue suspendio. Si uerò Mercurius fuerit cum cauda in signo quarto, accidet ei mors per insidias, aut per aliquod ingenium, seu per uenenum aut nigromantiam. Et si Luna fuerit cum cauda ibidem, eius mors erit per uenenũ & ex medicinis purgantibus.

Si dominus triplicitatis anguli terræ primus, uel gradus occidentis, uel dominus eius & Sol in natiuitatibus diurnis, aut Luna in natiuitatibus nocturnis fuerint impediti, natus morte extranea uel mala uitã suam finiet. Si uerò significatores mortis impediti supra terram extiterint, erit mors eius manifesta & nominata seu famosa. Si uerò sub terra fuerint impediti, erit mors eius occulta, & si fuerint significatores mortis in signis terreis, erit mors eius in cauernis, aut sub ruina aliqua. Et si fuerint in signis aëreis, erit mors nati in dorso bestiæ, aut per manus hominum in locis altis terræ, in furca uel in alio. Si uerò in signis igneis permanserint, adueniet ei mors per ignem, uel per calorem aëris peruenientem. Et si fuerint significatores in signis aqueis, erit mors ex rebus humidis, ex niuibus, aquis & similibus. Sed si fuerit aliqua fortuna in octauo, & locus octaui fortunatus aut publicans domino octauæ, similiter cùm aliquis fortunatus est in angulo terræ, aut cum domino eius, significat mortis bonitatem. Et si fuerit aliqua infortuna in octauo, aut cum domino octaui, erit mors fœda & turpis. Similiter cùm fuerit infortuna in quarto, uel applicans domino quarti signi, minatur mortem nato in exteris regionibus. Quòd si fuerit hæc infortuna Mars, morietur per ferrum, aut per ignem, Si uerò Saturnus fuerit, morietur ex occasione ueneni, cibi, aut pharmaci.

CAPVT XXXVIII.

De modo uniuersali, siue Methodo in iudicijs duodecim domorum cœli.

MOdus uniuersalis per quem debes prospicere iudicia duodecim domorum est, quemadmodum nunc ostendam, si Deus uoluerit. Vide primum singulas domus, & obserua diligenter quis fortunarum, uel malorum fuerit in eis, uel easdem aspexerit à quadrato, seu opposito aspectu, & quomodo se habeat dominus domus illius

cuius significationes quæris, & in quo loco circuli habitauerit, atque commixtionem ipsius cum Planetis, & statum partis, quæ refertur ad eam domum & locum eius. Item conditionem & qualitatē domini eius, locumq; eius in circulo & Planetarum commixtionē cum eo. Prospice etiam esse significatorū, si fuerint orientales uel occidentales, directi uel retrogradi, & quibus commisceantur fortunis seu infortunis, si fuerint in angulis uel succedentibus, aut in cadentibus. Nam si domus alicuius plurimi significatores, aut fortissimus eorum fuerint fortunati, à malis & impedimentis liberi, significant prosperitatem in natura rei significatæ per eam domum, & maximè si fortuna etiam per commixtionem in bonis locis circuli ad eam confirmandam & augendam testimonia sua contulerit. Si uerò significatores alicuius rei inueneris commixtos malis, uel retrogrados, uel combustos, aut in descensione sua, cadentes uidelicet à sua exaltatione, & ab angulis, uel in suo detrimento, significant infortunium in re significata, & maximè si cadentes & in locis infaustis positi, ut diximus, fuerint etiam coniuncti infortunis, uel in earum quadraturis, aut oppositionibus. Et si fuerit aliqua istarum rerum, in qua necessarium sit, ut sciatur multitudo uel paucitas, incremētum uel decrementum, dic in eo secundum quod inueneris significatores in locis suis, & secundum quod est earum positio in signis uel domibus significantibus multitudinem, uel paucitatem.

De

CAPVT XXXIX.

De Saturno cum fuerit in domo sua, & aliorum Planetarum in natiuitatibus diurnis & nocturnis.

Vm Saturnus in natiuitatibus diurnis in domo sua extiterit, significat amicitiam nobilium atq; magnatum, & cumulationem substantiæ, maximè si fuerit in ascendente, aut cum parte fortunæ. Et si natiuitas fuerit nocturna, in domo sua, significat laborem & diurnitatem, & multitudinem ægritudinum. Et si fuerit in domo Iouis, in natiuitatibus diurnis, significat pulchritudinem, & diuitiarum affluentiam ac ueritatem, sed si nocturna fuerit natiuitas, erit dispositor in rebus regum, & magnatū, & fortè interficietur pater eius. Et cùm fuerit in domo Martis, habebit cor lapideum, exiguam misericordiam & abundātiam iræ in eo, in quo debebat nequaquàm irasci, & non eleuabitur in rebus bonis, sed magis prosperabitur in malo. Eodem Saturno in natiuitatibus diurnis, in domo Solis commorante, fortunam nati, ac bonitatem status patris denunciat, & accessionem facultatum. Et si fuerit nocturna genesis, significat afflictionem ualetudinis nati, atq; patris. Si uerò eundem in domo Veneris commorantem deprehenderis libidines eius erga mulieres pauperculas, & infirmitate impeditas, ac uiles, nullius precij designat.

Et

Et eodem in domo Mercurij existente parcitatem nati,& retentionem ac inuestigationem scientiarum, atq; secreta librorum occultorum significat, quam ob rem detrimentum patietur, & habebit impedimentũ, & tarditatem linguæ,erit pessimus animo & uoluntate,inuidebunt ei homines, & dicent de eo opus quod non fecit. Eundem si in domo Lunæ inueneris infirmitatem nati,ac multitudinem morborum matris significare eum ne dubites, destruet etiam matris substantiam in uita eiusdem.

CAPVT XL.

De Ioue in domo sua, ac reliquorum Planetarum.

VM Iouem in domo Saturni inueneris,gra uitatem & angustiam cordis,& multitudinem luctus designat, sed uulgo se pauperem demonstrabit,eritq; debilis cordis, piger,cogitans malum cotidie, & perseuerans in eo, & res suas occultè faciet, ac continget ei malum ex partibus diuersis. Sed si in domo sua in natiuitate diurna permanserit,erit fortunatus ac diues,dilectus quoq; et potens apud reges & principes, sed si nocturna fuerit genesis,erit contrarium eius quod diximus. Cogetur enim uictum suum cotidie acquirere, & dicet ea, quæ non sunt,neq; fuerũt, & habebit commixtionem cum uiris religiosis, aut erit prælatus in lege aut religione.

Eodem

Eodem in domo Martis commorãte, erit laudatus in omnibus suis artibus,& constans in sua fœlicitate,habens consuetudinem cum regibus,principibus,& ducibus,ac si tunc Iupiter fuerit in angulis,aut succedentibus angulorum in signis masculinis, erit princeps & ductor exercitus, & maximi precij nominisq; clarissimi. Si uerò idem in domo Solis habitauerit,erit formosus boni ingenij,coniunctus regibus, & laudatus apud eos,& coram uniuerso populo. Et si præter hoc quod dixi, fuerit in angulis uel succedentibus liber à malis,uel impedimentis erit magnæ fœlicitatis, & magnarum diuitiarum rex,seu regi similis, maximè uerò in natiuitate diurna. Si eundem in domo Veneris in natiuitatibus masculorum commorantem uideris,cõiunctionem nobilium,& gaudium,ac commodum in desponsatione nobilium mulierũ significat. Sed si fuerit natiuitas fœminæ,adipiscetur bonum ex captiuitate & profectum causa fidei & religionis. Eodem in Mercurij domo habitante,erit natus negociator diues,multa dans,& multa accipiens ex negociatione sua,& laudatus,habebitq; dominium super aliquos homines in occulto,& lucrabitur ex hoc pecuniam,summisq; extolletur laudibus. Et si idem in domo Lunæ in natiuitatibus diurnis apparuerit, & maximè in angulis uel succedentibus erit fortunatus, & multarum diuitiarũ, magnæ autoritatis,coniunctus regibus & nobilibus: Si uerò nocturna fuerit natiuitas, erit prelatus in lege, boni ingenij in suis artibus,& clarus ex illis.

CAPVT XLI.

De Marte cum fuerit in domo ſua,& aliorum Planetarum.

CVm Mars fuerit in domo Saturni,natus erit audax,diabolus, perficiẽs ipſe omnes res quas incipit,ſed diſsipabit opes parentum ſuorum,ac uidebit mortem fratrum ſuorũ maiorũ. Eodem in domo Iouis cõmorante,natus erit nobilis,honoratus,& pulcher,amicus nobilium ac magnatũ. Et ſi fuerit Iupiter in domo Martis uiciſsim in configuratione bona,erit natus uelut ductor exercituum, & uincens aduerſarios ſuos. Si uerò in domo ſua permanſerit, erit nominatus honoratus,& diues,& fortè erit ingenioſus,ac doctus, peritus Geometriæ, habebitq; bonos ſucceſſus in omnibus ſuis operibus,maximè ſi fuerit natiuitas nocturna. Quòd ſi in diurna euenerit, & fuerit in Ariete,non aſpicientibus eum fortunis,erit malignus, inferens omnibus iniurias, & accident ei dolores occulti, & caſus ab alto. Et ſi in Scorpione extiterit, aliquid ex prædictis minuetur. Si in domo Solis extiterit, ſignificat mortem nati ex infirmitate, quam habebit in uentre, & propriè in ſtomacho, in oculis, & operabitur quæ grauia ſunt ad operandum per ignem, & erit mors eius repentina,aut capietur, aut interficietur, aut ipſe, aut pater eius,aut morietur in peregrinatione. Eodem in domo Veneris exiſtente,erit natus luxurioſus, fornicator,perpetrans ſcelus cum uxoribus cõſanguineorum ſuorum,uel cum ſuis conſanguineis,uel deſponſabit mulierem,cum qua antea mœchatus eſt,& patietur detrimentum à mulieribus. Quòd ſi in Libra permanſerit,patietur detrimentum ab igne & ferro in locis occultis corporis ſui. Si uerò in Tauro extiterit,ſignificat omnem luxuriam & maliciam coniunctam. Si eundem in domo Mercurij commorantem cognoueris,ſignificat intellectum nati,& ſummũ ingenium,& erit callidus cum audacia, & experientia rerum cũ paupertate, & maius erit ei lucrum ex furto & latrocinijs, uel erit ſcriptor ſapiens,docens linguas, uel diſcipulus ſcriptoris,qui ſcribit chartas falſas, & exuperabit ſocios ſuos in ſcientia & ingenio. Sed eodem in domo Lunæ cõmorante,erit motu leuis,agilis,ſubtilis inueſtigator ſcientiarum,& profundarum ſententiarum, & erit audax in malis operibus peragendis,qui in uentre ſeu in occultis partibus ſui corporis malum ſeu impedimentum patietur. Tempore quoq; longo matri eius eueniet infirmitas,& mors eius repente, cuius quidem natus iſte res,facultatesq; diſsipabit.

CAPVT XLII.

De Sole cum fuerit in domo ſua,& aliorum Planetarum.

CVm autem Sol, & maximè in natiuitate diurna, in domo Saturni extiterit, erit breuiloquus, multi risus, delusor, proficiens in omnibus operibus suis. Et si fuerit nocturna, cito irascetur, erit instabilis in rebus suis, fastidiens omnes res, & assiduæ mutationis. Quòd si in domo Iouis permanserit, erit peritus in causa suæ legis, bonus sine pigricia, & maior omni genere suo. Quòd si natiuitas fuerit nocturna, significat bonitatem nutritionis, cõiunctionem cum nobilibus, præterq; quòd ipse erit fornicator, exercens iniquitatem cum uxore patris sui, seu alicuius sui parentis. Eodem in domo Martis conuersante, significat patris infirmitates & nati, sed in natura iuncturarum & Epatis dolorem significat, pater uerò eius morte pessima opprimetur. Si in Scorpione extiterit in natiuitatibus diurnis malculorum, felicitatem, & exaltationem eorum omni tempore uitæ suæ portendit. Sed si fuerit in natiuitatibus nocturnis, aliquid decedet de ea fortuna. Eodem in domo sua perseuerante in natiuitatibus diurnis in angulis, uel in succedentibus angulorum, erit dilectus, regnans, diues, magnus, & fortis, & euenient ei diuitiæ ab altis hominibus, & ex locationibus terrarum & uillicatione: In natiuitatibus uerò nocturnis, debilitatem ingenij sui patris significat, & erit orphanus, & capietur in peregrinatione, & forte significat uoluntatem separationis nati à parentibus suis. Idem si in domo Veneris extiterit, exponet somnia diuinator,

Ego Sole in Ariete existente, hoc idem potius prædixerim, q̃ in Scorpione, propter Solis exaltationem in Ariete.

uinator, & aperientur ei res absconditæ, uerax in bono, ac multorum itinerum, quibus ualde delectabitur, sed turpiter luxuriosus existet.

Eodem in domo Mercurij cõmorante, erit multorum rumorum, bonorum operum, doctor scientiarum, et fortasis Astronomus, notus apud omnes, maximè si fuerit natiuitas diurna. Si uerò nocturna fuerit, erit pauper, mala opera agens, in iuuentute quidem erit turpiloquus. Cum autem ad mediam ætatem peruenerit, diuitias acquiret non cognitas uel occultas. Accident autem ei dolores in stomacho, aut in occulta parte corporis, & conuersabitur hominibus opera dæmonum exercentibus. In domo Lunæ si inuentus fuerit, cum cauda Draconis, Saturno, Marte, impedimenta, ac pericula minatur oculis nati, multa decernit itinera, & uaria in aquis discrimina.

CAPVT XL.

De Venere, cum fuerit in domo sua, & aliorum Planetarum.

VEnus cum fuerit in domo Saturni, natus cognoscet uxorem flebotomadum uel meretrices, & uituperabitur ex hoc, & erit corruptor mulierum desponsatarum, &

& propter hoc proficiet in rebus ſuis. Sed in natiuitatibus nocturnis erit multæ fornicationis, damnatę luxuriæ, & contingent ei ex hoc controuerſiæ, & cùm intrabit ætatem, ditabitur per mortem ſuarum uxorum. Si eadem in domo Iouis extiterit, ſignificat incrementum dignitatis nati, & acceſsionem pulchrorum indumentorum, & proficiet per cauſas mulierum & per aliquod opus muliebre, per ſocios & cognatos & per uxores nobilium, uel per aliquod opus, quod eis faciet, & ſua familia eum odio perſequetur. Sed ſi fuerit natiuitas diurna, erit hoc quod dixi, aliquo modo diminutum. Eadem in domo Martis commorante, patietur natus malum & contentiones per cauſas mulierum, & habebit rem cum ancillis & malis mulieribus, ſeruiet & conſequetur deſponſationem, & cadet in controuerſias & inimicitias, atq; amiſsionem, & forſan interficiet uxores ſuas propter ſuſpiciones aliquas. Si uerò in domo Solis permanſerit, erit natus infortunatus in cauſis mulierum, & erit amator puellarum penè infantium, & erit abundans in coitu, & multum deſiderans ipſum. Eadem in domo ſua reperta, ſignificat gaudij multitudinem, cum mulieribus amicitiam, læticiam & delectationem cum alijs mulieribus inſinuatis, & uidebit in omnibus ſuis operibus, quod amet. Et ſi in domo Mercurij fuerit, erit commixtus mulieribus uirorum religioſorum, ac bonorum, & erit dominus operum muliebrium & hominũ effœminatorum, diliget etiam luxuriam, & faciet picturas

ſculpturas & ſculpturas, ac mulierum ornamenta, & his ſimilia. Et ſi in domo Lunæ inuenta fuerit, ſignificat luxuriam turpem, uagasq; libidines, et uniuerſaliter, cum Venus fuerit in ſignis mobilibus, paruam ſignificat ſtabilitatem in una re.

CAPVT XLIIII.

De Mercurio, in ſuis ac aliorum Planetarum domibus.

Cum autem Mercurius in domo Saturni permanſerit, grauitatẽ linguæ & diuerſitatem uerborum ac malam ſuſpicionem inſinuat, & commiſcebitur quidẽ religioſis hominibus & ſapiẽtibus, & erit notus per obſeruationẽ ſuæ legis. Si idem in domo Iouis extiterit, coniunctionem ac amicitiam regũ & adminiſtrationem rerum ipſorum portendit, & cauſas partium ac patrocinia, & erit ſapiens in iudicijs & iudicando. Cũ autem in domo Martis fuerit, faciet chartas falſas deceptionis & mendacij ac calliditatis, unde & malũ patietur. Eodem in domo Solis inuento, ſignificat augmentum in ſcientia & memoria, & inueſtigationẽ ſcientiarum profundarum. Si eundem in domo Veneris cõmorantẽ inueneris, multitudinem amicorum inſinuat, natusq; procacitatẽ & laſciuiã, & ioculationes amabit, & erit timens Deum, & multa dabit & accipiet

piet,& operabitur cuncta opera ſcientię,& conciliabit ſibi nobiles & præſtantes uiros. Quòd ſi in domo ſua permanſerit,ſignificat omnes ſciẽtias triuij & quadruuij,& Prophetiæ & maximè ſi in Virgine fuerit. Cum uerò in domo Lunæ habitauerit, multitudinem itinerum,ac honeſtam uoluntatem demonſtrat, bonamq; famam,& erit caſtus apud homines.

CAPVT XLV.

De Luna in ſua & aliorum Planetarum domibus.

LVna in domo Saturni commorante,ęgritudines ex uento ſitate deſignantur, malũ quidem de eo dicetur,quòd ſi fuerit lumine diminuta,ſignificat infirmitatẽ tuſsis, & frigoris,& dolores renum , maximè ſi fuerit natiuitas nocturna: Si uerò diurna fuerit,aliquid de iſtis malis mitigabitur. Si eadem in domo Iouis permanſerit,erit quaſi rex inter parẽtes, cum multitudine bonæ famæ,ſed perpetrabit luxuriam cũ mulieribus, cum quibus non eſt licitum. Et ſi in domo Martis fuerit,erit multæ iræ,acerbitatis & contentionis,& commiſcebitur malis hominibus , latronibus & bellatoribus. Eadem in domo Solis perſeuerans,ſignificat multitudinem gaudij & lætitiæ,amicitias regum,famæ celebritatem. Patietur autem natus infirmitatẽ in capite & ſto-

& ſtomacho,præſertim ſi fuerit in initio ſigni,uel fine. Quòd ſi in domo Veneris permanſerit , erit amator mulierum,affectãs eas,& habebit multum gaudij cum eis,& uitam pulchram. Eadem in domo Mercurij cõuerſans , ſignificat amorem erga iuuenculas paruasq; puellas. Cum uerò in domo ſua habitauerit,habebit natus multum lucri , erit magnæ autoritatis, coniunctus regibus. Quòd ſi fuerit iuncta aut commixta malis,diuerſas nati ægritudines & occaſiones earum oſtẽdit. Si uerò fortunis iuncta fuerit uel applicans eis,ſignificat ſanitatem corporis & temperantiam.

¶ QVÆ SEQVVNTVR CAPITA in alio Exemplari inuenimus , non in noſtro illo uetuſtiſsimo. Adiunximus autem ideo,quòd ea iam olim huius autoris nomini aſcripta fuêre,Lectoris iudicio permittentes iure ne id,an uerò iniuſtè fecerint Exemplarium Scriptores.

CAPVT XLVI.

De domino horæ.

DIxit Hermes dominum horæ in omnibus natiuitatibus habere omnes ſignificationes communes cum domino aſcendentis. Qua propter diligenter inquire , dominum na-

talitiæ horæ. Si enim ipsum directum saluumq; ab impedimentis ac malorũ infaustis occursibus, in cardinibus aut in succedentibus eorum offenderis, fœliciũ stellarum radijs corporibusúe adiunctum, præsertim si ipsius etiam natura benefica fuerit, decernit nato diuturnam, & multis fortunæ ac naturę beneficijs, dotibusq; cumulatam & affluentem uitam, ac cœtera bona, quæ solet largiri dominus ascendentis fortunatus. Idem enim est (teste Hermete) de utrisq; iudicium.

CAPVT XLVII.

De significatis Planetarum in singulis thematis natalitij locis, ac primo de Planetis in Horoscopo.

SAturnus in prima domo decernit difficultatem in omnibus operibus & incœptis, mortem ex ruina terræ, uel propter æs alienum. Iupiter honorem, reuerentiam, modestiam, prudentiam & bonum finem. Mars, iram, bellum, cõtentiones. Sol dominium, exaltationem, potentiam, magnitudinem operum, possessionum, celerem et solidam eruditionem. Venus, gaudium, uoluptatem edendi & bibendi, ornamentorum, uestium, amorem erga mulieres, placidos mores, corporis pulchritudinem. Mercurius sapientiam, scientiam scripturæ, & numerorum. Luna dominia, peregrinationes, migrationes in alia atq; alia loca, inconstantiam, beneuolentiam erga matrem, & magnas nobilesq; fœmininas.

De Planetis in secundo loco.

Saturnus in secundo signo, significat defectum rei familiaris, & uictus, impedimentum lucrorum, perturbationem amicorum. Iupiter abundantiam diuitiarum, & bonum intellectum. Mars egestatem, calamitatem, perturbationem à seruis, uulnera. Sol diuitias per totam uitam, splendidum statum, & lætos oculos. Venus facultates & opes à mulieribus. Mercurius augmentum diuitiarum, & honorem apud reges. Luna amissionem & damna rei familiaris, & crebras mutationes status.

Planetæ in tertia domo istas habent significationes.

Saturnus odia inter fratres & sorores. Iupiter fœlicitatem fratrum & sororum, ac propinquorum cum gaudio. Mercurius odia & contentiones fratrum ac sororum. Sol officium à rege, peregrinationes. Venus inconstantiam, & infortunia ex malis operibus, sed multos amicos, & gaudium ex eis, uenustatem fratum ac sororum. Mercurius inclinationes & promtitudinem ad omnes res discendas, robur amicorum, fratrum & sororum. Luna offitia & gaudia à diuitibus, ex regibus, itineribus, nobilibus & peregrinus.

Planetæ in quarta hæc dernunt.

Saturnus dissipationem & iacturam hæreditatis, parentum interitum. Iupiter utilitaem ex terra, hæreditatibus, thesauris, & securitatem à terroribus.

Mars effusionem sanguinis, homicidia, tristem exitum. Sol thesauros, reuelationem arcanarum & reconditarum rerum ac artium, laudem, dignitatem. Venus laudabilem filiũ, sed qui initio sit habiturus mœsticiam matris causa. Mercurius bonam memoriam, & subtilitatem in artificijs. Luna tristitiam, sed cum bono fide.

Planetæ in quinta hæc portendunt.

Saturnus dispersionem ac mortem liberorum. Iupiter multos probos liberos, utilitatem & laudem ex illis, & diuitias ex rebus speratis. Mars multos illegitimos liberos, parumq; gaudij ex illis. Sol dignitatem liberorum, & in imperando laudem & gloriam. Venus angustiam & tristitiam ab uno filio primum, deinde gaudium ex liberis. Mercurius multa negocia ex Epistolis, fortunam ex uno filio. Luna multos liberos.

Planetæ in sexta hæc significant.

Saturnus morbos & inobedientiam familiæ. Iupiter parum morborum, utilitatem à pecoribus, & fortunam â familia. Mars multos calidos & siccos morbos, malam familiam. Sol morbos, perturbationem à seruis & ignobilibus. Venus uxorem cupitam, morbos à mulieribus, spoliationem per seruos & ancillas. Mercurius deceptionem & spoliationem per mulieres propter libidinem, & intemperantiam. Luna lucrum ex animalibus.

Planetæ in septima hæc promittunt.

Satur-

Saturnus tristitiam in coniugio, uxoris separationem, malum finem. Iupiter gaudium ab uxoribus, & uictoriam hostium. Mars angustiam, calamitatem, laborem, bellum, damnum, tristitiam & perturbationem in omnibus rebus, & inclinationem ad libidines. Sol aduersitatem à nobilibus, diuitibus, & potentibus. Venus gaudium à mulieribus, et successum in rebus optatis. Mercurius appetitum, & magnas tentationes mulierum causa, & contentiones cum eis. Luna bona à mulieribus.

Planetæ in octaua hæc decernunt.

Saturnus hæreditates ex morte propinquorum, & longos luctus. Iupiter amissionem facultatum, sed bonum & laudabilem finem. Mars plerunq; malam mortem, aut uulnera in manibus & pedibus, turpitudinem, contemptum, amissionem facultatum, & magnam egestatem. Sol spoliationem bonorum per potentes, fortem & malum interitum ex negocijs regum. Venus aduersitatem erga matrem, diuturnam uitam, & bonam mortem. Mercurius inimicitias uicinorum, & luctum propter demortuos, sed incrementum substantiæ, & magnam peritiam artificiorum. Luna natum ab officio suo & honore per reges, aut principes deponendum fore fugitiuum, multos morbos, angustiam & tristiciam passurum.

Planetæ in nono cœli loco hæc designant.

Saturnus grauia & terribilia somnia, errorem in fide, morbos, impedimenta, & damna in longinquis

 itine-

itineribus. Iupiter gaudium, & fortuna in longinquis itineribus, bonam fidem, uera ſomnia, & eorum interpretationem. Mars amorem equorum, bellorum & uini, infidelitatem & multa uana ſomnia, inutilia & noxia itinera. Sol bonam legem, bonam fidem, timorem Dei & utiles peregrinationes. Venus uoluptatem, & fortunam ad peregrinationes, religionem, timorem Dei, uera ſomnia, & interpretationem eorum. Mercurius diſciplinam, modeſtiam, ſcientiam, & experientiam multarum rerum occultarum. Luna deſiderium ad longinquas peregrinationes, multas malas cogitationes ſuggerit.

Planetæ in medio cœli hæc inſinuant.

Saturnus in nocturna genitura ingentia & manifeſta damna ab regibus, & potentibus aut diuturnam captiuitatem: In diurna uerò, diuitias & magnorum artificiorum exercitia, & in ſenectute fœliciorem ſtatum, cꝫ in iuuentute. Iupiter diuitias, laudem ec dignitatem. Mars triſtitiam & captiuitatem à potentibus, inopiam bella, aduerſitates. Sol magnam gloriam, autoritatem, utilitatem apud reges. Venus gaudium à regibus & principibus, & nobilibus fœminis, officia, dignitates, & poſteriorem uitæ medietatem meliorem priore. Mercurius magnam ſcientiam ſcribendi, numerandi, & alias artes, artificiaq; excellentia. Luna magnum amorem ad res pulchras, diuitias, officia, honores apud reges & principes.

Planetæ in undecimo ſigno hæc portendunt.

Saturnus metum & dolorem amicorum, impedimentum rerum ſperatarum. Iupiter diuitias, laudem, dignitatem amicorum cauſa, ſuperationem inimicorum, utilitatem ex rebus ſperatis, bonam fidelitatem, & fidem. In nocturna geneſi fortunam, fortitudinem, laudem. Sol gaudium & auxilium amicorum diuitum & ſeruorum, fortunam parentum, honeſtum & clarum nomen in exteris regionibus, fortunam in operibus, gratiam & beneuolentiã hominum, et poſterius uitæ tẽpus fœlicius in honoribus q̃ꝫ prius. Venus fortunam ab amicis & ſodalibus, bonam fidelitatẽ & fidem, multas opes in fine uitæ. Mercurius multos amicos, ſodales, gaudiũ apud ſapientes, liberalitatẽ. Luna gaudiũ ex amicis, & impletionẽ omnis ſpei & expectationis.

Planetæ in duodecima hæc ſignificant.

Saturnus metum, captiuitatem, impedimenta à regibus, pauorem in omnibus. Iupiter ſeruitutem, paupertatem, defectũ & triſticiam à ſeruis. Mars morbos & damna ex hoſtibus, ſeruis, & turpibus hominibus, impedimenta & infortunia in omnibus incæptis. Sol inimicitias regũ, amiſsionem honorum, morbos anguſtiam & calamitatem à ſeruis inimicis, & ignobilibus. Venus moleſtias à malis mulieribus, & malũ matrimoniũ. Mercurius natũ ſapientẽ, philoſophũ, & ualde artificioſum. Si uerò impeditur, furioſum, delirũ, inquirentem de rebus inutilibus, aut fortaſsis negociatorem equorum, & aliquid ſcientem de quadrupedibus & ſimilia. Luna impedimenta ab inimicis, & ſi infortunata eſt à Saturno, captiuitatem & paupertatem, os & cor-

pus fœtidum. In nocturna tamen genesi, hæc mala mitigantur.

CAPVT XLVIII.

De capite & cauda Draconis Lunæ, in duodecim cœli domicilijs.

CAput in prima domo decernit dominationem & fortunam, iuxta commixtionem suam cum Planetis. Cauda tribulationem, decrementum, et impedimentũ in omnibus incœptis, læsionem alteriusoculi. Caput in secunda domo, augmentum substantiæ, & magnam fortunam. Cauda Draconis, paupertatem & casum è sublimi. Caput in tertia domo, promittit nobiles et fortunatos fratres, & uera somnia. Cauda uerò, dispersionem fratrũ & sororum. Caput in quarta largitur utilitatem & augmentum fundorum, & hæreditatum. Cauda Draconis, diminutionem patrimonij, & multos labores sine fructu. Caput in quinta domo, pollicetur augmẽtum liberorum, securitatem ab omnibus calamitatibus. Cauda Draconis, damnum & interitum filiorum, & horribiles eorum casus. Caput in sexta domo, robur aduersus morbos, multos seruos, animalia multa, & fructum ex illis. Cauda Draconis morbos, malitiam seruorum & ancillarum, & imbecillitatem animalium, & nullum fructum ex eis. Caput in septima, dat amicitiam mulierum. Cauda Draconis coniugij dissolutionem, potentiam inimicorum. Caput in octaua, ualidã uitam, timoris parum. Cauda Draconis, turpem mortem, amissionem bonorum. Caput in nona, designat fidem nati fore secũdum statum Planetarum, qui sunt cum ipso. Cauda Draconis, ingentes mutationes, & malam fidem. Caput in decimo loco, tribuit nato fortunam, & incrementum magisterij. Cauda Draconis, oppressionem, damna, itinera non necessaria. Caput & cauda Draconis in undecima domo, dant multũ laboris, quietis parum. Caput in duodecima, robur & multitudinem inimicorum, augmentationem malorum, & paupertatem. Cauda Draconis, parũ infortunij aduersus inimicos, oppressionem eorum, ac paupertatem & nullum damnum ab illis.

CAPVT XLIX.

De effectibus & inclinationibus partis fortunæ, in duodecim thematis natalitij locis.

CVm pars fortunæ est in prima domo, significat maximam fortunam in acquirendis opibus, & prosperos successus in omnibus negotijs ac contractibus, ludis alijsq; rebus omnibus, quibus facultates parari solent, aut possunt. In secunda eadem significat, quæ in prima, non tamen ita perfectè. In tertia dat fortunam in actionibus cum fratribus, sororibus & propinquis, ac religiosis hominibus, bonum erit nato monasterium, & ordinem

dinem ingredi, ac breues peregrinationes ſuſcipere.
In quarta ſi fuerit, proſperum eſt nato cum parentibus agere, fundos & domos emere, in fodinis laborare, thesauros & abſconditas res quærere, arcana explorare, teſtamenta & legata condere. In quinta domo, ſi extiterit, bonum eſt nato agere cum liberis, ueſtes ſcindere & induere, literas ſcribere, tabellarios mittere, conuiuia & ſocietates celebrare, uoluptatem & amores quærere, negociationem exercere in bonis liberorum, aut ijs, quæ ad filios, & nepotes pertinent.
In ſexta bonum eſt ſeruos & ancillas conducere, nam fortunati fiunt. Item oues, ſues, capras emere, & cum illis negotiari, in paſcua mittere, nam fortunatæ fiunt. Sed non eſt iraſcendum ſeruis, ancillis, aut operarijs, multo minus ſunt uerberandi, nam iſti uincunt. In ſeptima domo, bonum eſt agere cum mulieribus, & amorem ab eis petere, bona mulierum lucri cauſa exponere, & cum ijs negociari. In primis bonum mutare ſtatum, aut ex uno ſeruitio in aliud ſe tradere, aut ex uno loco in alium, in quo aliquandiu commorari uelis, commigrare. Nam in illo ſeruitio, uel loco bene cum eo agetur, & fortunam habebit, bella tamen modis omnibus fugienda. In octauo loco pars fortunæ male ponitur, nam ſignificat amiſsionē. Atq; hæc eſt communis ſententia, oppoſitionem partis fortunæ, ſignificare maximam infortunam. Cum igitur pars fortunæ eſt in octaua domo, tunc eius oppoſitio eſt in ſecunda, quæ eſt domus facultatum.

Quare

Quare eo tempore nihil emas, nec uendas, non ludas, non mutuū des, non fias ſponſor. Nam omnia damnum & amiſsionem afferunt: Sed cum rebus uxoris negotiari bonum eſt. In nona ſi fuerit, auſpicatum eſt longa itinera ſuſcipere, in exteris terris negotiari, cū Epiſcopis, & alijs religioſis magiſtratibus agere, aut ſe religioſo ordini addicere, beneficia & eleēmoſinas petere. Somnia, quę eo tempore habentur, fiunt fortunata, & ſenties in te ſingulares animi motus erga Deum, & multas ſubtiles cogitationes. In decima fortunatiſsimum eſt cum regibus, principibus, & magiſtratibus agere, præcipuæ ſubſtantiam principum lucri cauſa erogare, aut cum illa negotiari, nam mirificas utilitates facit. Hoc tempus cōmodiſsimum eſt ad quamcūq; artem, artificiumúe inchoandū, nec ullum fœlicius tempus poteſt reperiri, ad ambienda officia, honores, dignitates, & ad leges cōdendas, tum ſe principibus aut potentibus obſtringere fœliciſsimum eſt. In undecima domo ſimili modo, quo de decima dictum eſt, iudica. Et ſi enim hæc domus debilior eſt, tamen natura ſua maximam fortunam ſignificat, quapropter fit duplex fortuna in omnibus rebus, nullo excepto. Præcipuè uerò auſpicatum eſt tum à principibus opes petere, aut eos trucidare. Nam undecima domus ſignificat ſubſtantiam regum, principum, & dominorum. In duodecima ſi pars hæc inuenitur, bonum eſt equos, mulos, aſinos, boues, uaccas emere, & cum illis negotia exercere, in paſcua mittere, & alijs utēda dare. Fortuna

tum est et captiuos liberare, uerùm omnia alia negocia lucri causa suscipienda, uitanda sunt. Nam iacturam afferunt, neq; confligẽdum cùm hostibus. Nam eo tempore confirmantur & adiuuantur illorum uires & victoriam obtinent fortunæ suffragio.

CAPVT L.

De reliquis partis fortunæ accidentibus.

Arte fortunæ in exaltatione Saturni existente, natus erit fortunatus apud senes & seruos. In exaltatione Iouis, apud potentes, nobiles, & religiosos homines. In exaltatione Martis apud principes, comites, equites auratos, & milites. In exaltatione Solis, apud reges & magnos principes. In exaltatione Mercurij apud doctores, cancellarios, publicos notarios. In exaltatione Lunę, apud balneatores dominorum, & uirgines, quæ sunt humilis stirpis. Similiter si pars fortunæ in domo uel terminis aut aspectibus eadem parte, & domino eius coniunctionem uel aspectumaliquem efficiat & in cuius Planetæ domo sit Luna. Si est in domo Saturni, natus erit frigidæ naturæ, rarò audax & hilaris, & magnos labores sustinebit. Sed si Saturnus est orientalis magna hæreditas illi obueniet, & nouas domos ædificabit. Si uerò Luna est in domo Iouis, natus erit sapiens, prudens, & fortunatus apud potentes dominos, & amabitur ab hominibus. Si in domo Martis eadem inuenta fuerit, natus erit audax, libenter litigabit, & fortunam habebit apud duces exercituum, comites, equites auratos, et milites. Si in domo Solis, natus multa habebit beneficia à regibus. Si in domo Veneris, natus erit hilaris, Musicę peritus. In domo Mercurij, sapiens, solers, prudens, uafer, astutus. Eâdem ratione iudicabis cùm Luna est in horum Planetarum exaltationibus, uel terminis aut aspectibus.

Cautela in iudicijs obseruanda.

In quouis significato hoc summè notandum est, Si unicum habet testimonium, uulgare est: Si duo, est fortius: si tria perfectum, si modo domini ipsi, aut significatores fortes, & non impediti sint. Significationes item in cadentibus domibus, & signis mobilibus sunt debiles. In succedentibus domibus, & commu-

tum & aduersantur illorum uires & eadem

nibus ſignis fortiores. In angulis & ſignis fixis fortiſſimæ. Quòd ſi in una re ſimul bona & mala ſignificatio & teſtimonium incidit, confer unum teſtimonium ad alterum, utrum fortius aut debilius ſit. Nam quod fortius eſt, & plures dignitates habet, præferendum eſt. Illud igitur obſerua, & alterum omitte. Si uerò utrunq; par eſt, ambo abijciantur. Sic enim & certius & fœlicius multo iudicabis.

SOLI DEO GLORIA.

Errata obiter admiſſa.

B 4. facie prima, uerſu quarto, pro aſperit, lege aſpexerit. Ibidem uer. 8. pro gredui, lege gradui.
C 4. fa. ſecunda, uerſu. 9. poſt dignus, omiſſum eſt regno.
D 3. in figura celi, in linea nonæ domus poſitum eſt ſignum ♃ pro ♄. In linea uerò decimæ domus omiſſum eſt ſignum ♃. Inuerſos ſignorum ac planetarum characteres in reliquis figuris per ſe quiſq; facile intelliget.
Capite. 13. uerſu. 5. pro tertiæ, lege terræ.
I 4. fa. ſecunda, uerſu. 1. pro caloſe, lege calore.
K 3. fa. prima, uerſu. 11. poſt aſcendentis, omiſſum eſt, ei.
Capite 39. uerſu. 6. pro diurnitatem, lege diuturnitatem.
N 1. facie prima, uerſu quinto, pro publicans, lege applicans.
P 1. fa. prima, uerſu 14. pro peregrinus, lege peregrinis. Et in titulo ſequente prodeerunt lege decernunt.
P 1. fa. ſecunda, uerſu 7. pro fide, lege fine.
P 1. facie prima, uerſu 17. pro Mercurius lege Mars.

Pſalm. LXXXIX.
Beatus populus qui ſcit iubilationem.

1953

ابو علي يحيى بن غالب الخياط

Abū ʿAlī Yaḥyā ibn Ghālib AL-KHAYYĀṬ
known as **ALBOHALI**

One of the best known astrologers of his age, Abū ʿAlī al-Khayyāṭ (d. c. 835) was a pupil of the highly influential Māshā'allāh ibn Atharī al-Baṣrī, a Persian Jew who first introduced elements of Aristotelian physics into Arabic. In Ibn Nadīm's great bio-bibliographical dictionary of the late tenth century, *al-Fihrist*, Abū ʿAlī is attributed with having written *Kitāb al-Masā'il fī aḥkām al-nujūm* and the *Kitāb al-Mawālīd*, both extant, and a number of other works, now lost.

6 ALBOHALI. De judiciis nativitatum liber unus, antehac non editus. Epistola nuncupatoria Ioachim Helleri Leucopetraei ad clarissimum virum D. Philippum Melanthonem. Nuremberg, Ioannes Montanus & Ulrich Neuber, 1549.

4to, with woodcut border at head of title, large woodcut vignette on last leaf, woodcut initials, and diagrams in text; extensive contemporary annotations; modern vellum.

The second edition (first 1546) of Abū ʿAlī al-Khayyāṭ's *Kitāb al-Mawālīd* as translated to Latin by Johannes Hispalensis (John of Seville). "[The author's] fame in mediaeval Europe stems from the *K. al-Mawālīd*, a work on judicial astrology which also contains horoscopes for illness, frequent citations from Ptolemy and Hermes on the pars fortunae, etc. Two Latin translations were made of it, one by Plato of Tivoli (Plato Tiburtinus) at Barcelona in 1136, and the other by John of Seville in 1153; the latter translation was printed in Nuremberg (1546, 1549)" (EI).

The translator, Johannes Hispalensis, was "the chief and most voluminous translator of astrological works from Arabic into Latin in the twelfth century. [His translations] remained in use during the later middle ages and many of them appeared in print in early editions" (Thorndike, II, p. 73).

Joachim Heller was a leading member of the circle of the celebrated Humanist and Reformer Philip Melanchthon, to whom the preface of this edition of Albohali is addressed. Heller explains Albohali's method, and states that the work is published from a manuscript which was once in the library of King Mathias of Hungary.

EI, IV, p.1162; Sezgin, VII, pp. 120–21.

Adams A562; Carmody p. 50 (1546 edition only); IA 102.783; Lalande p.69; Zinner 1949.